OBSERVATIONES

ET

EXPERIENTIAE,

quas

circa remedia eorumque formulas

in Instituto medico-clinico Patavino a Prof. Lippich directo, septem annorum (1834/35—1840/41) cursu praescribi solita

conscripsit, et medicorum usui

adcommodavit

Dr. FRANCISCUS KÖSTL.

VIENNAE.

Apud Braumüller & Seidel.

1843.

Der Arzt soll die Krankheiten durch Anregung der natürlichen Heilprocesse bekämpfen, das Mittel soll ihm Werkzeug seyn, dessen er sich mit klarem Bewusstseyn der krankhaften Vorgänge bedient, nicht sein Denken allein in Anspruch nehmen, nie soll die Heilmittellehre vor der pathologischen Entwicklung der Heilobjecte vorwalten.

J. F. C. Hecker,
Geschichte der neueren Heilkunde.

Typis Viduae Antonii Strauss & Sommer.

Praefatio.

Quae discendi cupidine ductus patienter lubenterque notaveram, ea ut etiam typis vulgari permitterem, fatens me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt et scribendo proficiunt, non inutiles causae fuerunt. Agitur enim de observationibus et experientiis therapeutico-pharmacologicis in Schola medica clinica superiori Patavina ab eximio Professore *Lippich* directa cursu annorum septem factis, quae Academiam nunquam, castam vero naturam semper sapiunt, ideoque a nulla unquam postera die delentur, et ut Instituti clinici Patavini actorum partem constituant, sat satisque dignae. Agitur de remediorum, quibuscum pericula instituta fuere, partim usus rarioris, novitus partim introductorum haud exiguo delectu. Obveniunt vero inter alia: Acidum hydrocyanicum et phosphoricum, Agnus castus, Aquae sulfureae ad montes Euganeos prope Antenoream urbem, Caesaris Augusti temporibus jam celeberrimae, Aquae salino - martiales Catullianae pone Recobarium, Aquae acidulo-salino-ferruginosae Recobarienses, Aqua maris adriatici, Argenti nitras simplex, aut aci-

dulus (binitras), Argentum nitricum fusum, Auripigmentum, Aurum muriaticum natronatum, Ballota lanata, Cainca, Carex arenaria, Chinini citras et murias, Colchici vinum, Creosotum, Croton Tiglium, Electricitas galvanica, ferruginosa pilularum massa Valleti, Ferri proto oduretum, et prussias, Hydrargyri cyanuretum et deutojoduretum, Lichenina, Malum Granatum, Nicotiana, oleum jecoris Aselli, Pigmentum indicum, Pix liquida, Pyrola umbellata, Scolopendrium, Scopolina atropoides, Sphaerococcus crispus, Sphaerococcus confervoides, unacum aliis venetarum lacunarum algis, Theriaca, et Terebinthinae oleum destillatum. Ut in curae adminicula quaedam, quorum unum ad faucium ulcera syphilitica, salivationem mercurialem, etc., ut de prophylactico contra scarlatinae contagium taceam, alterum ad pneumophthisin tubercularem multo citius et securius, ac cum quocumque alio medicamine hucusdum potuit, sananda, egregiam suam contulit operam, oculum animumque converterent, de Scopolina atropoide, a Professore *Lippich* primum in usum medicum vocata, et de venetarum lacunarum algis, Sphaerococco confervoide, Ulva Lactuca, Fuco aciculari, etc. fusius quid, ne succinctam monographiam dicam, insuper conscripsi. Adjuncta cuilibet medicamini, quae in dicto Clinico ordinari solebant, formularum medicarum exemplaria nec superflua, quin imo Medicinae practicae imprimis tironibus admodum grata censeo, itaque eorumdem, ni aliorum quoque, quibus scholarum

clinicarum acta cordi esse debent, satagens votis. Licet pruriret animus, molem pertractandam systematico quodam ordine distribuendi, ne vero nisi observata absque verborum plures paginas replentium ambage, referre simplicіter agerem alia, alphabeticum ordinem servavi, qualem in opusculo: „*Speculum pharmacologicum*" a me jam observatum, materiei scopo optime respondentem, mente et animo praestans quidam Vir declaravit. Praeluceret mihi in condenda medicamentorum divisione systematica divisio morborum nosologica, genesi et crisi superstructa, cardinibus enim pragmatico-historicis; quoniam quae ex stationariae sic dictae, epidemicae, endemicae aliarumque, quibuscum organismus humanus necessitatem fovet, potentiarum dominium venerandi neglectu, in pericula incurrere nollem; quoniam praeeuntibus Divo *Hippocrate, Galeno, Paracelso, Helmontio, Stahlio, Aretaeo, Celso, Fernelio, Fr. Hoffmanno, Boerhaavio, Frankio, Reilio, Hufelandio*, aliisque naturae observatoribus, sub faustis semper auspiciis cl. Professoris *Francisci ab Hildenbrand*, dilectissimi mei moderatoris, cujus ingenii ac animi dotes in fervidum me amorem rapiunt, sed et ego ipse, quam sub diverso tegmine coeli exercui, in praxi mea Naturam solam saepe morbos egregie percurare, arcere, et corporis integritatem tueri vidi, nec non expertus sum, omnes academiarum potestates connexas tantum non facere, quam Natura sponte sua absque illis facit et peragit: est Deus in nobis, per quem

vivimus omnes. Quaenam momenta in praxi, de quo loquor, clinicum quondam patavinum Virum duxerint, ejusdem opera sat clare demonstrant, et quantum valeat illud *Celsi* effatum: „Differre pro natura locorum genera Medicinae, et aliud esse Romae, aliud in Aegypto, aliud in Galiis."

Auctor.

Index medicaminum.

OBSERVATIONES

ET

EXPERIENTIAE

therapeutico-pharmacologicae.

Absynthium.

(Artemisia Absynthium Bot.)

Praeplacuit in helminthiasi, praemissis utplurimum aliis vermifugis; in reconvalescentia aliquorum morborum acutorum, e. gr. tromophreneseos bibonum, febris intermittit., gastricae, biliosae, gastrico-verminosae, etc.; item in aliquibus chronicis, uti in scrofula, chlorosi, ubi martialibus et similibus contra has affectiones adhibendis viam aperiebat.

Infusum aquosum communiter ex drachm. duabus ad colat. unc. octo; aut ex drachm. tribus, uncia semis, ad colat. unc. decem paratum, prae aliis in usu fuit.

Rec. Summitat. Absynth. *drachm. duas*
Inf. s. q. aq. ferv. p. $\frac{1}{4}$ h. v. cl.
Col. unc. octo detur.
S. Omni bihorio cochl. cib. duo (etiam epicratice, vel ad vascul. coff. dimid.).

Connubium: cum Santonico, addito Sale amaro; c. cortice Chin. reg., in scrofula; in chlorosi secundaria, c. Valeriana, praemissis amaro-tonicis, extracto Absynthii ipso; c. Tanaceto et Rheo, in cardiectasi passiva cum helminthiasi et oligaemia; c. tinctura Rhei aq., in helminthiasi; c. extracto Quassiae, in chlorosi; c. tinctura Chinae, pro coronide curae hepatitidis typhoideae.

Rec. Summit. Absynth. *drachm. duas*
Inf. s. q. aq. ferv. p. $\frac{1}{4}$ h. v. cl.
Col. unc. decem adde:
Extr. Quassiae *scrupul. unum.*
M. D. S. Omni bihorio vascul. dimidium.

Extractum Abs. (aquos.) solutum in infusis aromaticis, v. gr. Chamomillae, ad praeparandam martialem curam in chlorosi; e. g.

Rec. Fl. Chamomill. vulg. *drachm. tres*
Inf. s. q. aq. ferv. p. $^1/_4$ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Extr. Absynth. *drachm. unam.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Ex infuso Melissae, in cardiectasi hypertrophica cum incipiente hydrothorace, post adaequatam curam antiphlogisticam, perstante attamen nimia nervorum mobilitate et superveniente valde molesta anorexia, quae inde pacabatur, ablata et illa; ex inf. Cent. min., in scrofula; ad drachmam dimidiam vel integram, c. aliis amaris extractis.

Extractum in pilulis; e. g. in chlorosi, antemissis Magnesia carb., Rheo, etc.

Rec. Extr. Absynth. *drach. unam*
Pulv. Absynth. q. s. ut formentur pilulae Nr. XX.
Consperg. pulv. rad. Irid. flor.
D. S. Omni bihorio pilulae quatuor.

Connubium: eodem in morbo, eadem forma, c. Ferro sulf. et extr. Valerian.; porro c. Chinino sulf.; c. extr. Ferri mal.; c. pilul. Valleti et extr. Quass.; c. extr. Centaur. min.; c. fl. Sal. ammon. mart., etc.: de quibus singulis suo loco.

Pulveris Absynth. nonnisi q. s. ad pilulas ex extractis amaris formandas praescribebatur.

Acetum aromaticum.

(s. antisepticum Ph. Austr.)

Inserviebat curae vitali, in f. bilioso-verminosa, in nervosam versa: status enim delirii, meteorismi, obauditionis, animi indifferentiae, etc. praeter alia, lotiones cum Aceto arom. institui jussit. Sic in cholera orientali, usque dum calor redire inciperet, continuabatur in frictionibus, ope hujus Aceti extremitatum levi cyanoseos gradu corrugatarum, elasticitate privatarum.

Acetum commune et Acetum Vini optimum.

Scopo repercutienti optime providebant acetata frigida capiti imposita, in febri gastrico-typhode; fomenta ad frontem ob fortes capitis dolores, in febri biliosa rheumatica.

Rec. Aq. frigid. *libram unam*
Aceti commun. *unc. unam.*
D. S. Fomentum ad frontem.

Cum glacie; pro pediluvio, in peripneumonia rheum.-biliosa c. dilatatione arcus aortae:

Rec. Aceti Vini optim. *libr. semis*
Glaciei contus. *libram.*
S. Pediluvio addatur.

Cum Spir. Vini rectificatiss.; pro lotionibus assiduis brachiorum, abdominis et pectoris ad sudores eliciendos in cuti arida urente, in f. gastrico-nervosa.

Rec. Aceti Vini optim.
Spir. Vini rectificatiss. *āā unc. duas.*
D. S. Pro lotionibus.

Cum Melle; enema ingrediebatur, in alvina obstipatione.

Rec. Aq. commun. *unc. octo*
Aceti Vini optimi *unciam*
Mellis despumat. *unc. semis.*
M. D. S. Pro clystere.

Ingrediebatur enema ex Asa foetida; mixturam ex acetate Morphii c. Aq. dest.; ad sinapismos praeterea sumitur: de quibus singulis suo loco erit sermo.

Oxymel simplex quaere sub *Mel.*

Acidum benzoicum.

In catarrho chronico et asthmate catarrhali cum suppressa expectoratione:

Rec. Aq. dest. fl. Samb. *unc. quatuor*
Ammoniae pur. liq. *scrup. semis*
Acidi benzoici q. s. ad perfectam Ammonio tribuendam neutram indolem; adde:
Syr. simpl. *unc. unam et semis.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Acidum hydrocyanicum.

In haemoptysi inflammatoria, cum tuberculosi et amenorrhoea: fortis aderat cardiopalmus, qui semel devictus, denuo comparuit:

Rec. Acidi hydrocyanici methodo Kelleri parati*) *guttas sex.*
D. ad lagenulam charta obscura obductam et embolo vitreo firmiter clausam, loco frigido servandam.
S. Sumat omni bihorio guttas tres Saccharo instillatas.

Post dies septem ab initiata cura cessavit sputum sanguineum, quo die suspendebatur Acidum hydrocyanicum. Sed non multo post sanguis ejicitur per vomitum, cedens nonnisi venaesectioni, pediluviis et Sali culinari ore sumpto.

Alio in casu, haemoptysi scilicet inflammatoria cum residuis pneumophthiseos tubercularis et cardiectasi, tentabatur sequens formula:

Rec. Spirit. Vini rectificatiss. *grana nonaginta*
Acidi hydrocyanici methodo Kelleri parati *guttas decem.*
D. ad lagenulam etc. ut supra, sigillo munitam.
S. Omni bihorio guttas duas — tres cum pulvere Sacchari.

Constat, quod in posterum ordinaretur decoctum Sphaerococci crispi c. aq. Lauroc., et melius exinde valuerit aeger.

---

*) Pharmacop. Hass. elector. sequentem pro parando Acido hydrocyanico *alcoholico* continet formulam, cujus auctor Keller est: Rec. Kali ferreo-borussici unc. 2; inmitte in retortam vitream, tabulatam minorem, cujus rostrum per tubum vitreum rectangulum cum vitro alto cylindrico, quod in mixturam refrigerantem, vel nivem, vel glaciem contusam, impositum est, communicat. Vitro cylindrico ingere Spiritus Vini rectificatissimi dr. 14, juncturisque luto ex farina et vesica clausis, affunde per tubulum retortae Acidi Vitrioli concentrati puri unc. 1, jam antea dilutam Aquae destillatae unc. 1. Fiat ex balneo aquae, rostro ascendente retortae, destillatio quam diu liquidum, in striis cohaerentibus oleo-aethereis, in cylindrum expediatur, ut solet per sextam partem horae. Destillatione peracta obtinentur Acidi limpidi unc. 2.

Fuit casus scirrhi mucosae ventriculi membranae juxta pylori regionem ad carcinomatis exitum perducti, cum fungi medullaris suspicione, et hepatis phlegmasia. E privata cl. Professoris praxi scimus, scirrho membranae ventriculi mucosae affectum quemdam sub usu hujus remedii ultra annum et dimidium cum malo vitam protraxisse.

Tentabatur quoque hujus Acidi externus usus in digiti ulcere scrofuloso inveterato, ex quo plorabat sanies copiosa, adhibito antea oleo Jec. Aselli, et externe aqua Creosoti:

Rec. Aq. destill. commun.
Spirit. Vini rectificatiss. *āā unc. semis*
Acidi hydrocyanici *guttas sex.*
M. D. ad lagenulam nigram operculo vitreo clausam.
S. Pro injectionibus in ulcus saniosum bis de die.

Digitus vero post dies octo gangraenescere incepit, quamobrem disarticulatio facta est.

Acidum muriaticum dilutum.

(Spir. Salis acidus Ph. Austr., Acid. hydrochl. dilut.)

Praemitto breviter quaedam de Acidis, seu potius de potubus acidulis. In bilioso-subinflammatoria individui diathesi scorbutica leviter adfecti sitis, ejusque fomes praecipuus, bilis nimirum et digestionis humor quivis male mistus, corrigebantur acidulis potulentis. Potus ex acidis mineralibus dilutis grate reficiebant in synochis degeneribus, et in specie gastrico-nervosis. Haustus aciduli frigidi apti evadebant in meningitide peripherica, quae supervenit bronchitidi biliosae ac haemoptisi; in pleuritide recidiva abeunte in hypoclepsin, sublatente lenta arachnitide in pellagroso, quum praecipuus scopus esset, diuresin et expectorationem promovendi; in gastro-enteritide catarrhali cum nota biliosa; in metroperitonitide puerperali; in variola cum nota biliosa, ad facilitandam eruptionem, biliosae quidem colluviei copiam porro imminuendam, et corrigendam, ejus tamen a cuti derivantem nimiam profusionem, alios insuper humores secum rapientem aliquantum moderandam; in zostere cum catarrhasthmate cardiaco; in tromophrenesi potus aciduli vinum mentientes; in quotidiana cum epilepsia. Potubus acidulis intra

paucas horas compositae fuere omnes turbae, quae ex Morphina acetica methodo endermatica adhibita terruere intoxicationis metu. Ex acidulorum vegetabilium usu molesta phaenomena cardiaca aucta propter aegro ingratam Digitalem penitus conticuere.

Acidum muriaticum dilutum potui inserviens, obvenit in mixturis, ad drachmam; in collutorio ad drachmam unam, et ultra; in pediluviis idem Acidum concentratum ad unc. semis, usque uncias duas, et quidem in copula cum Acido nitrico.

In febri gastrico-nervosa:

Rec. Decocti Hordei l. a. p. *libr. tres*
Acidi muriat. dilut. *drachm. unam.*
D. S. Pro potu.

In f. gastrico-verminosa; sec. *Chomel:*

Rec. Aq. font. *libr. duas*
Acidi hydrochlor. diluti *scrupul. duos*
Syrupi Mororum *unc. unam.*
M. D. S. Potus.

In febri gastrica c. nota cat.-rheumat. transgressa in nervosam lentam cum exanthemate aphthoso in tractu intestinali et cavo oris:

Rec. Aq. font. *libr. tres*
Acidi muriat. dilut. *drachm. unam*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Potus.

Eadem formula in typho intestinali cum exanthemate miliari substituebatur potui ex Acido sulf. dil. Agendum quippe erat in massam sanguinis per resorptionem sordium certe corruptam, nec non in exulcerationes in intestinis jam existentes, denique vero non obliviscendo phaenomenorum ex perverso systematis cerebralis et praecipue gangliaris imperio.

In penultimo casu quadravit sequens collutorium:

Rec. Herb. Salviae *drachm. tres*
Inf. s. q. aq. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. decem adde:
Acidi muriat. dilut. *drachm. unam*
Mell. despum. *unc. unam.*
M. D. S. Collutorium.

Recipiebatur ad unguenta (unacum Acido nitr.), ad sinapismos acuendos; ad pediluvia (unac. Acido nitr.), quae Heleno

Scott, Bernardo Johnson et per eminentiam Italo Tantini debentur. Uniebatur cum hydrochloratibus Chinae, Ferri et Ammoniae.

Acidum muriaticum oxygenatum.

(Chlorum liquidum Ph. Austr., s. Chlorina liq.)

Interne ad drachm. semis et integram et ultra, multa aqua dilutum, ex decocto mucilaginoso; in erysipelate gangraenoso:

Rec. Dec. Alth. ex *uncia* parati, *libram*
Acidi muriat. oxygenat. dilut. *drachmam*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

In typho intestinali c. exanthemate miliari, rebus male vergentibus, potui glaciali c. Acido sulf., et post ex Acido hydrochl. substituebatur:

Rec. Aq. font. *libr. tres*
Chlori liquid. dilut. *scrup. duos*
Syr. cort. Aurant. *unc. duas.*
M. D. S. Potus.

Sensim dosis augebatur ad scrupulos quatuor.

Acidum nitricum dilutum.

Ad usum internum Acidi nitrici diluti drachma dimidia usque integram ab initio, ascendendo quoque ad duas; pro pediluviis et unguento in connubio c. Acido muriatico.

In pemphigo scorbutico, sed quum contra scorbutum magis agendum esset; itidem in metrorrhagia activa:

Rec. Dec. Gramin. consc. ex *unc. duabus* parat. *libr. duas*
Acidi nitrici diluti *drachm. semis*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

Cum Rheo et cort. Aurant., in erysipelate gangraenoso:

Rec. Rad. Rhei elect. r. t.
Cort. Aurant. *āā drachm. duas*
Inf. s. q. aq. ferv. p. $^1/_4$ h. v. cl.
Col. unc. sex adde:
Acidi nitrici diluti *drachm. unam*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Unacum Nitro in pneumonitide, in ascite et anasarca; sumebatur ex decocto Dulcamarae et cort. Ulmi inter., in impetigine scabida; ex decocto Ononidis spinosae, in cardiectasi hypertrophica, cum bronchopneumonitide lenta; ex dec. Sarsaparillae et Guajaci, in syphilide universali, sub schemate ulceris fauces devastantis, dolorum osteocoporum et fluoris albi in scorbutica; in eodem casu Acidum nitricum vires acuebat cyanureti Hydrargyri postea ordinati, adeo ut ex duobus hujus praeparati granis salivatio ingrueret.

Acidum nitrico-muriaticum, forma pediluvii, validum exstitit remedium in hepato-splenemphraxi subinflamm. febr. c. hydropericardio incipiente, et initio hydrothoracis, in hepatitide chronica; in hepatitide peritonaea, cum tumore ad superficiem hepatis, ad residuum adhuc parvum dissolvendum tumorem, praeter Calomel ad prima usque salivationis prodroma, pediluvia Tantiniana sedule et cum fructu adhibebantur; itidem in stenosi valvularum semilunarium, etc.

Rec. Acidi nitrici
— muriatici *āā unciam semis* (sensim augend. ad unc. unam — duas)
Aquae font. *libram unam (— duas).*
M. D. ad vitrum epist. vitreo clausum.
S. Aquae admiscendum pro pediluvio.

Durities hypochondrii jam imminuta, sed adhuc perstans ante usum talis pediluvii in f. tertiana dupl. c. hepato-splenemphraxi, eodem sedule adhibito, omnis perfecte evanuit.

Unguentum ex Acido nitrico-muriat. in hepato-splenemphraxi ordinabatur, postquam linimentum saponato-camphorat. c. Conio macul., et hoc c. farina semin. Sinapis adhibita hypochondria tumentia, et sub attactu dolentia adhuc reliquissent:

Rec. Acidi nitrici dilut.
— muriat. dilut. *āā drachm. tres*
Axung. porci *unc. unam et semis.*
M. f. l. a. Unguent.
D. S. Ad ungenda hypochondria ter de die.

Sed hypochondriorum inde sensibilitas aucta magis erat, quare ad alia confugiendum fuit.

De connubio hujus Acidi cum nitrate Argenti, et de sinapismis, quos ingreditur, sermonem adhuc occasione data faciam.

Acidum phosphoricum.

Interne in mixturis, aqua satis temperatum: in febri gastrico-nervosa; in amenorrhoea retentionis cum fluore albo vicario (aegra praeter acetatem Sodae, Acidum phosph. et Boracem nil sumsit, et sana evasit); in cardiectasi dextera, cum hepatocolitidis chronicis consectariis, in hydropem tendente. Mitigatis inde symptomatibus cardiacis, imprimis palpitatione et anxietate, somnum terrentibus ad blandiendum nervis mobilioribus, Asa foetida et Acidum phosph. cum aliquo fructu ordinabantur. In metritide scleryntica (metroscleremate inflammatorio) cum elytrorrhoea symptomatica, aegra sanguinis emissionibus localibus, eccoproticis, aqua Laurocerasi, Acido phosphorico diluto tractabatur: fuit autem sub initio curae cachexia peculiaris, symptomata quaedam polycholiae, regio uteri tumidula, dolens, ani pruritus, tenesmus ad alvum, constantes lumborum dolores, febricula obscura quaedam quotidie, fluxus pro maxima parte bruncus, foetens, collum uteri incrassatum durum, calens, et os uteri labiis inaequalibus dotatum.

Rec. Decocti Hordei l. a. parati *libr. duas*
Acidi phosphorici diluti *drachm. unam*
Sacch. alb. *unc. unam.*
M. D. S. Omni hora vascul. coff. semis.

Acidum sulfuricum dilutum.

Interne. In typho intestinali cum exanthemate miliari, qua antisepticum; in notaco-myelitide lumbari malactica, cum notaeo-meningitide deinceps diffusa, quum praemissa generosa cura antiphlogistica, torpor major observatus methodum exposceret antiphlogistico-tonicam; in cardiectasi passiva (absque simultanea hypertrophia) cum splenemphraxi; in scabie, ubi post anglicanam methodum sic dictam scabies exstincta, major vero cutis irritabilitas organica diutius relinquebatur, spuriis psoriaseos papulis in dorso cumprimis emergentibus, opitulans; in ephidrosi chronica (in connubio c. China); in chlorosi secundaria; in tromophrenesi bibonum (c. syr. Kermes.); itidem in tabe dorsali incipiente cum fiente epilepsia (ex onania), quum

praeter cardiopalmum et puncturas ad spinam dorsi, nil adhuc adnotandum esset:

Rec. Aq. font. *libras tres*
Acidi sulf. dilut. *drachmam*
Sacch. alb. *unc. duas.*
M. D. S. Potus.

Frequentissime vero ordinabatur sequenti modo:

Rec. Aq. font. *libr. duas* vel *tres*
Acidi sulf. dilut. *drachm. semis*
Sacch. alb. (v. Syr. simpl.) *unc. unam.*
M. D. S. Potus.

Praeterea sumebatur interne ad drachmam de die, in decoctis Gram., Hord., et infusis.

Externe quoque, uti in aphthis (dr. 1½ pro Mell. despum. unc. 2). In blennorrhoea syphilitica c. hydrargyrosi, quum contra hanc potius et primum agendum esset, fauces ulceribus consitae, labia et os dolerent, et deglutitio aegre procederet:

Rec. Mell. commun. *unc. unam*
Acidi sulf. dilut. *drachm. semis (— duas).*
M. f. linimentum.
S. Os internum illiniendum ope penicilli.

Caeterum ad mentem James Henry ad corrigendum Salis amari saporem ejusve vim acuendam propositum connubium cum Sale amaro tantoties in usu fuit; sic Acidum sulfur., dummodo scopus therapeuticus postularet, lubenter jungebatur cum Digitali, Ipecacuanha, Ferro et Chinino sulfuricis, cum Peruviano Cortice, cum Millefolio.

Idem Acidum sub forma praeparati officinalis:

Elixir acidum Halleri, s. Liquor a. H. Ph. A.

Ex decoctis, infusis, mixturis, vel et solum guttatim; pro potu: in f. nervosa (ex inflammat.-gastrica); in synocha cum congestione capitis; in tromophrenesi bibonum; unacum inf. Melissae in febris statu nervoso-colliquativo; in leucochlorosi primaria; in charactere febrium nervoso; in cardiectasi passiva et stenocardia; in incipiente cordis dilatatione; in scorbuto; in ephidrosi chronica. Dosis a scrupulo ad drachm. semis, unam de die:

Rec. Aq. font. *libr. tres*
Elixir acid. Halleri *drachmam*
Syr. simpl. *unc. duas.*
(s. Syr. Rubi Idaei unc. unam.)
M. D. S. Potus.

Bibonibus, tromophrenesi laborantibus, loco syrupi alterius addebatur syrupus Kermesinus, ut vini rubri, quod Patavini amant, aqua remixti color esset; passimque delirantes huncce potum pro vino sumebant cupiebantque. Ubi vina flava sunt, hujus syrupi loco syrupus corticum Aurantiorum substitui potest.

Simili modo etiam c. limonea tartarica ordinabatur.

In metroperitonitide puerperali:

Rec. Elixir acidi Halleri *scrupulum.*
S. Guttas tres per vicem in frustulo Sacchari.

Ex infuso Ipecacuanhae in f. gastrico-nervosa; ex infuso Melissae, fl. Verbasci, Tiliae aut pro potu, saepius vero pro medicamine:

Rec. Rad. Ipecacuanh. r. t. *grana duodecim*
Inf. s. q. aq. ferv. p. $\frac{1}{4}$ h. v. cl.
Col. unc. sex adde:
Elixir acid. Halleri *scrupulum*
Syr. simpl. *unciam.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Ex decocto Althaeae cum aq. Laurocerasi, in febri gastrico-nervosa irritativa; eodem modo ex decocto Tamarind., Hordei, Senegae, Corticis Peruviani; unacum Aqua Naph. et tinct. Whythii in tabe mesenterica praescribebatur.

Acidum tartricum.

In pneumonia; in f. nervosa neglecta; in morbis bilioso-gastrico-rheumaticis; in cardiectasi hypertrophica cum incipiente hydrothorace; potui admiscetur ad saporem gratum; drachma semis vel integra ejus decoctis solventibus addebatur, recipiendum quoque ad pulveres aërophoros.

Rec. Acidi tartrici *drachm. unam*
Sacch. alb. *drachm. duas.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. sex.
D. sub Nr. I.

Rec. Bicarbonatis Sodae *drachm. unam*
Sacch. alb. *drachm. duas.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. sex.
D. sub Nr. II.
S. Pulvis ex Nr. I. in poculo aquae solvatur, dein addito pulvere uno ex Numero II. ebibatur sub effervescentia.

Est enim: Potus sic dictus *Riverii*, de quo plus sub *Soda.*

Rec. Acidi tartrici *drachmam* (v. drachm. un et sem.)
Aq. font. *libr. duas* (v. libr. tres)
Sacch. alb. *unc. semis* (v. unc. unam).
M. D. S. Potus.

Addita Cremoris Tartari uncia una, Limonea eccoprotica ex illa Limonea tartarica emergit.

Aconitum.

Extractum ad grana sex—duodecim in pilulis, pulvere interne. In spondylorheumate lumbari; in arthrorheumate; in catarrho bronchiorum, sub finem curae; in herpetica eruptione in cruribus, quae tanquam salutare naturae conamen considerata foveri debuit; in nevralgia brachiali: praemissis vero semper aptis remediis ad debellandum statum phlogisticum. Sub morbi decremento copiosus observabatur sudor. In anaesthesia paraplegica cum nota rheumatica, cur sequens formula nil juverit, videbis sub articulo *Electricitas*, *Strychnina:*

Rec. Extr. Aconiti Napell. *grana tria*
Sacch. albi *drachm. semis.*
M. f. pulv. divide in dos. sex.
D. S. Sumat ad vesperam omni bihorio pulverem unum, interpolatim cum Strychnina.

In cephalea rheumatica, cum intercurrente colica, debellata prius colica:

Rec. Extr. Aconiti Napell. *grana sex*
— Taraxaci *scrupulum*
Pulv. Liquirit. q. s. ad pilul. Nr. XV.
Consperg. eodem pulvere.
D. S. Omni trihorio pilulae duae.

Comparuit sudor, quin imminueretur dolor. Septimo ab hac cura die propter constrictionis in praecordiis sensum suspendi et ejus loco infusum Chamomillae dari debuit. Sequens formula

profuit in nevrorheumate crurali hypocleptico, antemissis vero hirudinibus:

Rec. Kermet. mineral.
Extr. Aconiti Napell. *āā grana quinque*
— Liquirit. *scrupul. unum*
Pulv. Liquir. q. s. ut form. inde pilulae Nr. X.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Itidem in bronchitide catarrhali, ad promovendam expectorationem, tussin pacandam, praemissis vero Hyoscyamo, Kermete et unguento stibiato.

Cum Hyoscyamo et Magnesia, in hydropericardio incipiente cum catarrho symptomatico ex ossificatione arteriarum arthritica in haemorrhoidario:

Rec. Extr. Aconiti
— Hyoscyami *āā grana quatuor*
Carbonat. Magnes. *scrupulum.*
M. f. pulv. divide in dos. sex.
D. S. omni vespera pulveres tres.

Postea in eodem casu:

Rec. Sulf. a. Antimon.
Extr. Aconiti *āā grana sex.*
— Taraxaci q. s. ut f. pil. sex.
Consperg. pulv. Liquirit.
D. S. omni bihorio pilulam unam.

Cum Sulfure aurat. Antimon., Calomele et extr. Tarax., in rheumatismo articulari afebrili genu dextri in transudationem tendente, morbo jam per aliquod tempus in statu perstante, quum jam majori energia agendum esset in membranas fibrosas, inque cutim:

Rec. Sulf. aurat. Antimon.
Calomel. laevigat.
Extr. Aconiti Napell. *āā grana quatuor*
— Taraxaci *scrupulos duos*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pilul. Nr. XX.
Consperg. pulv. eodem.
D. S. omni bihorio pilulae duae.

Cum gummiresina Guajaci, in rheumatismo chronico:

Rec. Extr. Aconiti Napell. *grana sex*
Gummires. Guajaci nativ. *grana novem*
Sacch. alb. *drachm. unam et semis.*
M. f. pulv. aeq. div. in dos. aeq. octo.
D. S. omni bihorio pulvis sumendus unus.

Ex decocto Sassaparillae, in lue medorrhoica cum arthritide rheumatica, praemissis Rheo et Magnesia: jam primis duobus a cura diebus sudor evadebat de nocte copiosus, doloribus vero genuum parum imminutis, motu difficili, nulla quoque in colli glandulis mutatione.

In unguento, contra spondylitidem lentam in individuo rhachitico:

Rec. Ung. digest. *unc. unam*
Vitellum Ovi *unius*
Extr. Aconiti Napell. *gr. decem.*
M. exact. f. unguent.
D. S. Adplicandum plagae ex vesicante relictae, renovandum bis in die.

Acupunctura.

Semel ad evacuandum serum in anasarca instituebatur. Altera vice cum Electricitate (Vide).

Aether aceticus.

In charactere f. nervoso, penes Ipecacuanham, Camphoram, Valerianam, frictiones aromat. Sed vitam revocare haud potuit.

Aether nitricus.

Spiritus nempe *Aetheris nitrici* (Spir. Nitri dulcis Ph. Austr.) in connubio cum Nitro et Acido nitrico, contra ascitem et anasarcam, postquam Ferrum et Chininum hydrochloric., Aloë, Squilla, linim. sap.-camph. et ol. dest. Junip. adhibita fuerunt.

Aether sulfuricus.

In statu f. nervoso, abdomine meteoristice expanso, et dolore ad iliacam dextram, jam in usu vocato vesicante, et linimento sap.-camphor.:

Rec. Aether. sulf. *drachm. unam.*
D. in vase probe clauso.
S. Pro frictione ad hypogastrium, consumendus binis vicibus.

Itidem in metroperitonitide puerperali, satisfaciendo curae vitali, venter inferior ungebatur.

Spiritus Aetheris sulfurici a scrupulo semis, integro usque drachmam semis in mixturis et infusis diversis, uti Arnicae, An-

gelicae, Melissae, etc., generatim omni in morbo, quo sanguinem alacrius movendi et sensiferam vitam excitandi scopus fuit; sic in f. gastrico-biliosa cum signis adynamiae, utut praesentibus dolore et vertigine capitis, meteorismo, diarrhoea involuntaria, etc.:

Rec. Aq. dest. Foeniculi *unc. tres*
Spir. Aether. sulfur. *guttas triginta*
Syrupi Diacodii *unc. unam.*
M. D. S. Omni hora cochl. cib. duo.

Postea in casu eodem:

Rec. Infus. rad. Arnicae mont. ex *drachm. duabus* parati *unc. decem*
Col. refrig. adde:
Spirit. Aether. sulf. *gutt. viginti quatuor*
Elaeosacch. Foenic. *drachmam.*
M. D. Epicratice sumendum.

In ascite diffuso, ad vires aegrae sustinendas durante operatione:

Rec. Aq. Cinnamom. simpl. *unc. duas*
Spir. Aether. sulf. *scrup. semis*
Syr. simpl. *unc. semis.*
M. D. S. Statim.

In eodem casu, quum debilitas summa adesset:

Rec. Olei essentialis Juniperi *scrupul. semis*
Spir. Aether. sulf. *drachm. semis.*
M. D. S. Guttas quinque omni dimidia hora stillatim in frustum Sacchari.

Obsecundando indicationi curae vitalis, ad sensibilitatem nervorum sopiendam, dolores leniendos, vitam vero irritativam, vasculorum praesertim excitandam:

Rec. Aq. dest. Cinnamom. simpl. *unc. quatuor*
Tincturae Opii simpl. *gutt. triginta quinque*
Spirit. Aeth. sulf. *unc. unam.*
M. D. S. Omni dimidia hora cochl. cib.

Agnus castus.

In tabe dorsali incipiente cum ficte epilepsia (ex onania). Prius adhibita jam fuere Camphora, Chininum, Hyoscyamus, Acidum sulf., aqua Rosar., — Goulardi, Nitrum, etc., balnea,

semicupia: aderant nunc pollutiones sex circiter in die, vertigines, dolores, myrmekysmus, tremores universales, dolores ad testes.

Rec. Stipit. tenuium et folior. Vitis Agni casti *drachm. tres*
Inf. s. q. aq. p. ½ h. v. cl. Dein ebulliant per minuta quinque; Col. unc. octo adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Pedetentim sumendum.

Haec dosis Agni Casti sensim adaugebatur ad unciam.

Allium Cepa.

Succus Cepae rec. expr. ad fovendam novorum furunculorum eruptionem, qui pro salutaribus judicari debuerunt, in eczemate chronico: aeger autem ob dolorem ex succo accusatum non tulit.

Aloë soccotrina.

Succus spissatus in pilulis, pro re nata cum aliis substantiis medicatis, a grano dimidio ad grana decem bis terve de die.

Extractum ejusdem aquosum resina destitutum in solutione et pilulis, individuis sensibilioribus eadem dosi.

Forma pilularum, purgandi scopo, in cardiostenosi valvularum semilunarium praecipue aorticarum c. hypertrophia et ectasi cordis consequutiva ex processu lithiaseos, quum purgantia fortiora indicata essent (extr. Aloës grana 12 — 19 intra diem consumebantur); in hepato-splenemphraxi ex febri intermittente, jam sub finem curae; in ascite diffuso c. hepatemphraxi (sed purgantia leniora majoris emolumenti evadebant).

Rec. Extr. Aloës aquos. *scrupul. duos*
Pulv. rad. Jalapp. *scrupul. unum.*
M. f. pilulae quindecim. Consperg. pulvere Liquirit.
D. S. Sumat omni bihorio pilulam.

Haec formula occurrebat etiam c. Sapone medicinali.

In hydrope ascite:

Rec. Aloës soccotrin. *grana decem*
Rad. Scillae marin. r. ras.
Kermet. mineral. *āā grana sex*
Extr. Tarax. q. s. ut f. pil. decem.
Consperg. pulv. rad. Liquir. D. S. omni bihorio pilula una.

In ictero febrili ob tarditatem alvi, unacum Felle Tauri, Sapone, Sale ammon., postea etiam cum prioribus et fl. Sal. ammon. mart.; quibus omnibus quum alvus non obediret:

Rec. Infus. rad. Rhei chinens. ex *drachm. duabus* parati *unc. octo*
Extr. Aloës aquos. *scrupulum.*
M. D. S. Omni hora vasculum coff. semis.

In chlorosi, post usum Absynthii, Ferri:

Rec. Extr. Aloës aquos. *grana quindecim*
Pulv. Liquirit. q. s. ad pilul. quinque.
D. S. Sumat tempore matutino.

Menstrua inde comparuerunt.

In simili casu:

Rec. Extr. Aloës aquos. *drachm. semis*
— Malatis Ferri *grana duodecim*
Pulv. Acori q. s. ut f. pil. XXIV.
Consp. eodem pulvere.
D. S. Omni bihorio pilula sumenda.

Addebatur huic formulae pro necessitate extr. Absynth., — Trifol. fibr., — Quass., — Centaur. min., etc.

Egregium exstitit remedium in provocandis menstruis chloroticarum, quum post Parthenium et Boracem molimina menstrua jam adessent (unacum pilulis V a l l e t i); aut postquam ope amaricantium et aquarum Recobariensium praeparatae essent. Aloës usus in chlorosi primaria sanguine jam melioris notae et copiae parato, ejus rivum ad genitalia allexit. Pilulae hujus extracti cum Ferro sulf. in amenorrhoea c. fluore albo vicario et incipiente scorbuto in scrofulosa, sub finem curae robur addebant. Ingrediebatur quoque pilulas ex sulf. Ferr., Croco, et extr. Quassiae, in enteritide lenta c. f. interm. quotid. symptomatica et nota pellagrosa, symptomatibus maniae.

Althaea off.

Radix in decocto ex drachmis duabus, semiuncia et drachmis sex ad col. unciarum octo, decem, librae unius; herba in infuso eadem dosi. Connubia: c. Sale ammon. c. aq. Lauroceras., Manna, c. Nitro, c. acetate Lixivae et Ammoniac., Elixir acid.

Hall., Tamarind., rad. Polygal.; subjungebatur infusis Ipecacuanh., etc.; c. tinctura anodyna pro clystere; collutorio, epithemati inserviebat.

Rec. Rad. Althaeae *unc. semis*
— Gramin. *unc. unam et semis*
Consc. coq. c. s. q. aq. c. f. p. ¼ h.
Col. librae unius adde:
Roob Sambuc. *unc. unam.*
M. D. S. Omni hora vascul. coff. semis.

Arridebat haec formula in variis febribus irritativis, exanthematicis, etc.

In decocto Alth. Manna lubenter solvebatur. Syrupus Althaeae forma linctus c. muc. g. arab., aq. Lauroc., vel extr. Hyosc.; ad leniendam tussim et dolorem minuendum:

Rec. Mucilag. g. arab.
Syrupi Alth. *āā unc. unam*
Aq. dest. Lauroceras. *drachmam.*
M. f. linctus.
D. S. Epicratice.

Alumen.

Interne forma pulveris: in pneumophthisi tuberculari, ominosis alvinis evacuationibus, et praemisso dec. Salep:

Rec. Alumin. crudi *drachm. semis*
Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. exactiss. f. pulv. div. in dos. sex.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

Continuabatur insimul in dec. Salep.

Tales pulveres, sed omni hora sumebantur in amphimerina gastrico-rheumatica in nervosam versa, vel soli, vel in connubio cum Moscho, aut cum hoc et Ipecacuanha. Etiam ex decocto Chinae c. Acido sulf. ordinabatur Alumen crudum, in simili casu.

Externe, in tinea favosa faciei ex residuis syphilidis in subjecto scrofuloso, quasi sub finem curae, quum labium superius tumeret et doleret:

Rec. Alumin. crudi *drachm. duas*
Tincturae thebaicae *drachm. unam*
Mellis despumati *unc. unam.*
M. D. S. Pro usu externo.

Collutorium: in isthmitide phlegmonosa cum laxitate, abscessu sponte rupto, copiosa inde suppuratione, tonsilla lateris alterius leviter tumente; sic in incipiente scorbuto, ore valde foetente, in stomatitide sub finem curae propter partium laxitatem a morbo relictam:

Rec. Inf. Salviae ex *unc. semis* parat. *unc. decem*
Alumin. crudi *drachm. semis.*
M. D. S. Collutorium et gargarisma.

In angina faucium sub similibus conditionibus, praemissis jam mitioribus:

Rec. Inf. Salviae ex *drachm. tribus* parati *unc. decem*
Alumin. crudi *scrupulum*
Mell. Rosar. *unc. unam.*
M. D. S. Collutorium.

In decubitu:

Rec. Albumin. Ovi *unius*
Alumin. crudi *drachm. unam.*
Agitentur insimul ope cultri, donec in spumam densam abeant.
D. S. Adplicetur ad os coccygis.

Ammoniacum, i. e. Gummiresina Ammoniacum.

Pilularum forma: in leucorrhoea a statu pituitoso pendente, pituita vero intestinali evacuata et revulsa, fluore jam decrescente:

Rec. Gummi-resin. Ammoniac.
Extr. Myrrhae aquos. *āā scrupul. unum*
Calomel. laevig. *grana quatuor*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pilulae Nr. XX.
Consperg. eodem pulv.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Ex quo nunc imminutus, nunc adauctus fluxus; quare ad alia confugiendum erat, i. e. ad aq. Catullianas.

In pneumonia notha Sydenhami, in statum febris nervosum

tendente: lente nimis, cum sputorum tarda coctione cedenti morbo, inter postrema unguentum stib. et pilulae ex gummires. Ammon. cum extr. Trifol. fibrini opponebantur, in plenariam aegri salutem.

Acetas Ammoniae solutus.

In febri tertiana cum hepatalgia et nota biliosa, quum manifesta adesset a tempestate humida et frigida exasperatio, et indoles simplicior rheumatica affectionis pateret, haec infuso Tiliae c. acetate Ammon. devicta est, per copiosos sudores. In biliosa subcontinua, in intermittentem versa, crisis tarda, dolorum vagantium et iterum iterumque insurgentium supposita causa, per diaphoresin adjuvabatur eodem remedio procuratam; in arthrorheumate, postquam per Tartarum emet. ptyalismus abdominalis et oralis productus fuerat; in tromophrenesi bibonum, quum post sumtum Tartarum emet. somnus criticus comparuisset cum sudore, hic acetate Ammoniae sustinebatur; in blennorrhoea syphilitica cum hydrargyrosi, penes usum Scopolinae: infusum Tiliae c. acet. Ammoniae. Porrigebatur ex decocto Ononidis spinos., in ascite et anasarca post febres intermittentes; ex infuso Melissae et Ipecacuanh. in charactere febrium nervoso; ex decocto Dulcamar., in rheumatismo humeri ad reconvalescentiam tendente; ex infuso Ipecacuanh. in anaesthesia paraplegica cum nota rheumatica, ab initio curae. Dosis a drachma una, ad duas de die:

Rec. Infus. fl. Tiliae ex *unc. semis* parati *unc. decem*
Acetat. Ammon. solut. *drachm. unam*
Roob Sambuc. *unc. unam.*
M. D. S. Epicratice.

Addebatur hinc inde Tart. emet. granum.

Acetas Ammoniae et Lixivae crises per urinam et sudores sustentabat, in amphimerina catarrheumatico-gastrica, in pleuritica serosa exsudatione etc.

Rec. Dec. e rad. Gramin. *unc. duab.* per ½ hor. ad Col. *libr. unius* par. adde:
Acetat. Ammon. solut. *drachm. unam*
— Lixiv. sol. *drachm. duas*

Syr. simpl. unc. unam.
M. D. S. Epicratice.

Votis utplurimum satisfecit.

Acetas Ammoniae solutus dilutus.

(Spiritus Mindereri Ph. Austr.)

In rheumatismo:

Rec. Inf. fl. Sambuci ex *uncia semis* parati *unc. decem*
Col. refrig. adde:
Spirit. Mindereri *drachmas duas*
Roob Sambuci *unc. unam.*
M. D. S. Epicratice sumatur.

Ammonium benzoicum.

In erysipelate oedematoso cum catarrho bronchiali, erysipelate fugato, catarrho saltem superstite, qui post evanescentem naturalem illam epispasin potius exasperabatur, cum dyspnoea majore, sputo parciore, et oborto adhuc tumore lienis. Quum ageretur de colatorio catarrhali, cujus natura senum fere indigere assolet, in melius restituendo, Ammonium benzoicum propinabatur; quod primo quidem cum dyspnoea tussim et stertorem adauxit, mox tamen sputa larga, vitellini coloris procuravit atque horum ope incommoda illa imminuit, adjuvante vesicatorio intra scapulas posito. Sal ammoniacus postea porrigebatur, quod vero minorem virtutem bechicam explicavit Ammonio benzoico. En formulam:

Rec. Dec. e rad. Alth. *unc. semis* per $\frac{1}{4}$ hor. ad Colat. *unc. decem* parato adde:
Benzoatis Ammon. solut. *drachm. unam*
Oxymellis scill. *unc. unam.*
M. D. S. Quavis hora coch. 2.

Ammonium carbonicum.

(Carbonas Ammoniae, Alcali volatile siccum Ph. Austr.)

Interne: in scarlatina papulosa, ad sollicitandam diapneusin, non qua specificum, uti Strahl intendit, carbonatis Ammoniae drachma semis die morbi sexta dabatur, et sinapismi

plantis adplicabantur. Continuatis hisce per subsequos duos dies universali cutis rubore, prius jam cedente, papulae ad diem 9., comparente largo sudore, epistaxibus et desquamationis initio ad faciem dissipabantur.

Externe forma unguenti: in tertiana duplici anomala c. hepatemphraxi atque cardiopalmo; penes dec. Tarax. c. Sale ammon. Unguentum aromaticum ad regionem hepatis infricabatur tempore apyrexiae. Splenitidem peritonaeam c. quartana triplici recidiva, hirudines, tonico-solventia et ung. carbon. Ammon. devicere. Hocce utile quoque deprehendebatur in depellendis intumescentiis mammarum in lactantibus et in duriore tumore fugando glandularum salivalium:

Rec. Ung. simpl. *unciam*
Carbonat. Ammoniae *drachm. unam et semis.*
M. f. l. a. Unguent.
D. S. Regio epigastrica inungenda (in infarctibus).

Ammonia pura liquida.

(Spir. Salis Ammoniaci causticus Ph. Austr.)

Vide *Acidum benzoicum.*

Ammonium muriaticum.

(Sal ammoniacus Ph. Austr.)

Depuratum: interne adjungebatur decoctis et mixturis utplurimum solventibus, ad scrupulum, duos, drachmam semis, usque unam.

Rec. Decocti Tarax. ex *unc. duabus* per $1/_2$ hor. parati *libram unam*
Salis ammon. depurat. *scrupulum unum*
Succi Liquirit. depur. *scrup. duos.*
M. D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

Haecce formula inserviebat in splenemphraxi, in f. quartana cum hepato-splenemphraxi (Sal. ammon. dr. 2, et alternatim cum sulf. Chin. sumt.); quartana simplici c. hypochondriis elatis, sub exordio curae.

Ex decocto Senegae: in pneumonia notha Sydenh., in statum nervosum tendente; in peripneumonia et bronchitide rheu-

matico-catarrhali, quum aegra propter diarrhoeam exhaurientem viribus pene fractis in somnum tenderet: sputa inde copiosa, facilius ejecta, et insequens levamen.

Ex infuso Ipecacuanhae: in nervosa catarrho-gastrica cum parenteritide folliculosa; in typhode pneumonitica.

Ex decocto Althaeae c. aq. Laurocerasi: in pneumobronchitide catarrhali lenta, c. suspicione tuberculorum in pulmonibus: sputa inde mox evadebant mucosa, copiosa, sudore interim restricto et urina sedimentum mucosum deponente.

Ex infuso Rhei: in diarrhoea pellagrosa, cum striis sanguineis, tenesmo, oedemate.

Ex infuso Liquiritiae: in ischiade rheumatica c. nota catarrhali. Connubium: c. Tartaro emetico, in bronchitide catarrhali c. nota biliosa (dec. Gramin. c. Sal. ammon. scrup. 2, et T. emet. gr. 3); in bronchitide catarrhali simplici:

Rec. Dec. Althaeae ex *unc. una* per ¼ hor. parati *unc. decem.*
Refrigerato adde:
Aq. dest. Laurocerasi *drachm. duas*
Sal. ammoniac. depur. *drachm. semis*
Tartari emet. *granum unum*
Succi Liquirit. depurat. *drachmam unam.*
M. D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Cum pulpa Tamarind., in febri catarrhosa-nervosa; cum Cassia in diarrhoea pellagrosa; c. muriate Chininae, in f. intermittente anomala c. hepato-splenemphraxi. In scirrho ad pylorum sequens formula incassum ordinabatur:

Rec. Extr. Gramin. liquid. *unc. semis.*
Solve in:
Aq. dest. Foeniculi *unc. sex*
adde:
Hydrochlorat. Ammoniae depurat. *scrupulum*
Aq. dest. Laurocerasi *drachm. tres*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Externe, pro clysmatibus, et cataplasmate; et quidem in enteralgia flatulenta febrili cum accedente hydrope ascite; perstabant flatus et ructus, sed dolores ventris nulli.

Rec. Dec. Hordei ex *unc. duabus* parati *unc. quatuordecim*
Muriat. Ammoniae depur. *unc. semis.*
M. D. S. Pro duobus clysmatibus.

Sed status idem permansit.

In syphilide locali. Bubo suppurans aperiebatur, ope lini carpti incisio aperta tenebatur, ut prius libera fieret excretio, et superimponebatur cataplasma emolliens. Excretio dein puris semper minor, durities quaedam perstabat in margine externo; quare:

Rec. Farin. semin. Lini *libram*
Coque ad consistentiam cataplasmatis, dein probe agitando admisce:
Muriat. Ammon. dep. *drachm. tres.*
D. S. Adplicandum supra bubonem incisum.

Durities exinde evanida, et nulla amplius puris excretio.

Ammonium muriaticum martiatum.

(Flores Salis Ammoniaci martiales Ph. A.)

A granis quinque, decem, ad scrupulum in solutione vel pilulis. In catarrho pulmonum cum cardiectasi dextra passiva et stenocardia; duplici scopo respondere debebat sequens:

Rec. Fl. Sal. ammon. mart. *grana sexdecim*
Extr. Taraxaci q. s. ad pil. Nr. XVI.
Consperg. pulv. Liquirit.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Hepatemphraxin cum lienis hypertrophia a febribus intermitt., solventia tonica, ac praecipue dein flores Sal. ammon. mart. tollebant; qui egregie conducebant in ascite diffuso et hepatemphraxi, postquam Tartarus emet. dosi refr., dein Aethiops antim. praecessissent.

Connubia: c. cort. Peruviano in arthrorheumate c. dyscrasia lymphatica; haec unacum dyscrasia rheumatica pro parte, per quantum licebat, corrigebatur; idem connubium profuit in melanchlorosi amenorrhoide, praemissis vero remediis mitioribus; cum sulfate Chinin. in f. intermitt. tertiana c. hepatemphraxi; connubium non inconsuetum inivit cum Sapone, extr. Aloës, Rheo, Felle Tauri insp., etc.

Rec. Flor. Sal. ammon. mart. *scrupulum*
Extr. cort. Peruv.
— Trifol. fibr. *āā drachm. semis*
Pulv. Calami aromat. q. s. ut f. pil. pond. gr. duorum.
Consperg. eod. pulvere.
D. S. Omni bihorio pilulae tres.

Rec. Fl. Sal. ammon. mart. *scrupulum*
Muriat. Chinin. *gr. decem*
Extr. Tarax. q. s. ut f. pil. Nr. X.
Consp. pulv. Liquirit.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Ex decocto Taraxaci, in intermittente quartana c. hepato-splenemphraxi, cessante febri per Salem ammoniacum, dolor hepatis fere penitus ablatus etiam sub attactu fuit, ope:

Rec. Decocti rad. Taraxac. ex *unc. duabus* parati *libram*
Fl. Sal. ammon. mart. *grana quindecim*
Extr. Gramin. liquid. *drachm. tres.*
M. D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Amygdalae dulces.

Emulsio, vel simplex, uti pro potu, vel pro medicamine in variis febribus irritativis, in oesophagitide; vel c. aq. Laurocerasi in haematuria renali; in cordis palpitationibus et insultu epileptico; in nephrocystitide ex usu Cantharidum:

Rec. Amygdal. dulc. excort. *drachm. sex*
F. l. a. Emulsio c. aq. font. *libra una*
Col. adde:
Sacch. alb. *drachm. sex.*
D. S. Epicratice sumend.

Eadem formula cum Nitro, aq. Lauroc. drachm. duabus aut tribus, cum extr. Hyoscyam. granis tribus quatuorve, vel etiam cum mucilag. gummi arab. unc. una, in inflammationibus thoracicis, etc.

In angina faucium optime conduxit:

Rec. Amygdal. dulc. excort. *unciam*
Tere in mortario vitreo, sensim sensimque adjungendo:
Aq. commun. *libram*
Colaturae adde:
Mucilag. g. arab.
Sacch. alb. *āā unciam.*
M. D. S. Omni dimidia hora vascul. coff. semis.

Oleum Amygd. dulc., interne:

Rec. Olei Amygd. dulc. rec. press. *unciam unam*
Pulv. g. arab. q. s. ad subactionem
Syr. simplicis *unciam unam et semis*
Perfecte contritis sensim affunde:
Aq. commun. *libram unam.*
M. D. S. Omni hora vasc. coff. semis.

Eadem formula cum aq. Lauroc., Opio, extr. Hyosc., Nitro, etc. C. acetate Morphii in laryngo-pneumophthisi tuberculari:

Rec. Olei Amygd. dulc. r. pr. *unciam semis*
Syr. simpl. *unc. unam*
Mucil. gumm. arab. q. s. ad subactionem
Conterendo adde:
Acetat. Morphii *granum semis.*
M. D. S. Agitata lagenula, omni bihorio cochl. coff. unum.

Emulsionem spuriam cum oleo Ricini vide sub *Ricinus.*

Interne oleum Amygd. adhibebatur ad illiniendas partes excoriatas et inflammatas. Illinitio instituebatur partis capillatae, in tinea capitis, eruptionum aliarum scrofulosarum totius corporis, in ichthyosi squamosa, crustarum, quae inter omnes magis siccae sunt, in tinea scutulata, etc.

Amylum.

Pro excipiente in pulvere Auri, Morphinae, nec non ad pilulas ex Mercurio sublim. corros. conficiendas; inserviens quoque in aqua fervida solutum pro clystere. Connubium cum protojodureto Ferri vide.

Angelica.

A drachma una et semis ad drachm. duas in infuso unacum fl. Arnicae, in statu febrium adynamico-nervoso:

Rec. Rad. Angelicae
— Arnicae *āā drachm. unam (— duas)*
Inf. s. q. aq. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Camphor. subact. *grana tria (— sex)*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Addebantur etiam huicce formulae unciae duae tinct. Rhei aquos.

Anisum stellatum.

Infusum ex drachmis duabus, unacum Rheo; scopo purgante, in adfectionibus lentis pituitosis, licet raro:

Rec. Rad. Rhei chin. r. t.
Semin. Anisi stellat. *āā drachm. duas.*
F. l. a. infus. ferv. aq. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Elaeosacch. cort. Aurant. *drachm. duas*
D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

Aqua communis simplex.

1. *Frigida.* Interne. Potus aquosus, qualem aegri sitiebant, frigidulus, egelidus etc.; cum nihil obstaret, quod potum alium indicaret, aut cum aegros omnis alterius potus taederet. Affatim in febribus concedebatur.

Externe. Aqua egelida facici aut pectori inspersa, in accessu cardiaco in syncope; injectiones frigidae in vaginam in leucorrhoea a statu pituitoso pendente; eaedem in amenorrhoea cum statu irritativo partium genitalium; lotiones frigidae cum aqua communi, ad genitalia et spinam dorsalem, in tabe dorsali incipiente; clysma, in enteralgia flatulenta febrili. Fomentationes capitis frigidae, in encephalo-meningitide, etiam in statu febrium nervoso, sed non indistinctim; epithemata frigida collo applicabantur in angina, pectori in haemoptysi, abdomini hinc inde in peritonitide (traumatica), lumbis in lumbagine diastatica etc.; fomentationes frigidae, vulnerum ex hirudinibus relictorum, in phlebitide femorali; eaedem, plagae per ferrum candens factae, in spondylarthrocace.

Embrocatio. In kyphosi cum tumore dorsuali (abscessu frigido) e carie vertebrarum probabiliter ob aortae anevrysma nata frigidum embregma tumori gibboque immittebatur, ut sic (penes VS., hirud., Digital.) processus suppurationis restringeretur, resorptio aliqua sollicitaretur, et volumen fors etiam anevrysmatis imminueretur. Multo post, punctione instituta, et pure

sensim evacuato lymphatico, in stillis frigidis continuabatur, ad optatum, quo par erat, effectum.

Fomenta frigida ad frontem, usque dum sudor febrilis adpareret, in quotidiana biliosa, praesente photophobia et susurru aurium; itidem, in eodem casu, quum paroxysmus a frigore forti horam durante exorsus esset, atque dein calor vehemens cum symptomatibus gravioribus congestionis cephalicae succederet, fomenta frigida ad stadium usque sudoris admota tenebantur sedulo. Aqua cum glacie pro pediluvio, in peripneumonia rheumatico-biliosa c. dilatatione arcus aortae.

2. *Glacies.* Interne. Frustulatim ore sumebatur, in biliosa subcontinua, quum sitis in frigida, anorexia, vomitus ab ingestis, pondus ad scrobum cordis etc. terrerent; in cholera epidemica; in bronchitide lenta c. nota verminosa, ob vomitum; in haemoptysi pneumo-bronchiali activa c. aortectasi; in enteralgia flatulenta; in metroperitonitide puerperali. In typho intestinali c. exanthemate miliari, aqua frigida c. glacie potui inserviebat.

Semieupia, post etiam syphonismus et quidem primo semel, serius ter de die in tabe dorsali cum flente epilepsia, quum post medicamina sumta et balnea adhibita status idem maneret.

3. *Aqua tepida.* Epithemata calida supra abdomen, quum diarrhoea cum doloribus iliacis pro exulceratione intestinali non inique deponebat; fomenta tepida (et clysmata), vix finito crustularum cornearum lapsu, dolor hypogastrii adventans, sub defaecatione et mictu acerbior haud aliis remediis depulsus est, in varioloide.

Balneum universale tepidum. In nevrorheumate femoris hypocleptico, sub finem curae; in zostere semicircinato trunci; in scabie sicca, scabie herpetica, herpete papuloso, ichthyosi squamosa, pellagra, eczemate chronico; in paresi agitante mercuriali; in prurigine senili (praeter diaetam blandam balnea simplicia prae aliis utilia deprehendebantur); in syphilide locali; in syphil. universali, sub schemate dolorum osteocoporum, condylomatum et mentagrae pustulosae; in tabe dorsuali incipiente balneum ad gradum R. 15; in statu febr. nervoso; in febri gastrico-rheumatica c. praevalente affectione spinae dorsalis, superveniente metastasi ad cerebrum ad statum nervosum trans-

eunte; ad cutim madidam reddendam atque diaphoresin promovendam. Cum tamen latens tubi gastro-enterici inflammatio in aliquo casu adesset, sub usu horum balneorum, quae ab auctoribus Raimann et Hildenbrand valde convenientia in febri ad nervosum characterem tendente praedicantur, cautela opus erat, nec 24 gradus Réaum. superandi. In quotidiana intermittente atonica, ad stadia febris complenda, et quidem ad sudorem provocandum, balnea universalia tepida horis apyrexiae quotidie ordinabantur. De balneis electricis vide articulum. Alia balnea, artefacta dicenda, patebunt penes singula remedia cum illis adhibita, uti est Sapo, Sulfur, etc. Vide *Electricitas*, quae aegro in balneo universali adplicabatur.

Pediluvia tepida. In dysmenia, in menstruorum moliminibus v. primitiis, in pneumonorrhagia, etc. (de pediluviis compositis valent, quae nunc de balneis universis dicta sunt).

Balnea vaporis. In arthrorheumate, in chronicum decursum vergente, accedente catarrho bronchiali. Quum omnia absque ullo fructu tentata essent, major utilitas palliativa e cerato Opii et balneis vaporis habebatur, quae cooperante vel maxime vernali tempestate, sudores procurarunt, dolores lenierunt, tussimque fugarunt. Apparatus adhibebatur qui delineatur et describitur in opusculo: F. W. Lippich, Beschreibung eines Wärme- und Dampfbadapparates etc. Laibach, 1831. Vaporum inhalatio, in pneumophthisi tuberculari obveniebat simplex, composita, e machina Mudgeana aut ope coni chartacei rigidi.

Aquae sulfureae Aponenses.

1. *Aquae thermales* (Ad scaturiginem + 65° R.). In arthrorheumate in chronicum decursum vergente; postquam multum emendata foret aegra 62 annor., et per quantum licuit, dyscrasia lymphatica et rheumatica, correcta, tandem tum a dyscrasia, quam a diuturnitate mali domi contraxit, tum ab omni fere dolore sub aestatis finem egregie liberata est. In herpete papuloso, quum post usum aquarum Raineri, carburetum Ferri, balnea simplicia, lotiones ex Nicotiana, cutis etsi tensa, tamen minus arida tangeretur atque aspera, sudorque semper adesset, praesertim de nocte:

Rec. Aquarum thermalium Aponens. q. s. ut aequali aquae fluviatilis portione commixtum sufficiat pro balneo universali instituendo temperiei 28° R.

Ab hocce balneo cutis actio intendebatur, unde sudor copiosus. Pluribus exinde progredientibus diebus lunae phasi decrescente, diligente instante cura, corporis superficies undique e decedentibus crustis nitida, tractabilis madidaque eveniebat; tensio tamen et durities in corii textu rebellis tangebantur, ita ut Zinci Vitriolum in auxilium vocari debuisset. Hic notandum venit, quod ad praescriptionem pro aegris Nosocomii civilis Patavini, quo et aegri scholarum clinicarum referuntur, quotidie inde a 1. Maji usque ad Septembrem, aqua tum thermalis, tum lutum harum aquarum, Apono advehatur, quod cum ab urbe Patavina aliquot tantum milliaribus italicis distet, tanto adhuc calore scatet, ut refrigerari per aliquod tempus, uti et aqua ipsa, debeat.

2. *Lutum thermale* (Ad locum, ubi provenit + 50° R.). In apoplexia laterali sanguinea (probabiliter effusoria). Aegra 48 annos nata, etiamsi motus et sensibilitas non perfecte illico in ipso hoc rediret artu, tamen utcumque restituta dimitti potuit, ut coeni thermalis Aponensis usum dein faceret: ex istius virtute paulo post egregie sublevata exstitit. Levissima remanens paresis redeunte aestate coeni ejusdem repetitionem indicavit. Quod ex tumore (alio in casu) ad musculum deltoideum post antiphlogisticam curam mansit residuum, luto eodem pro desiderio cessit. Ad emeliorationem anaesthesiae paraplegicae cum nota rheum. contribuere quam maximum Electricitas, lutum Aponense caloris graduum 27 R. de die in diem sensim sensimque augendi, sed et tempus aestivum.

3. *Aquae sulf. Rainerianae* ad vicum Acosta pone Aponum frigidulae scaturientes adhibebantur potae in pneumophthisi tuberculoso - ulcerosa; in lichene; in herpete papuloso, penes usum Graphitis.

Rec. Aq. sulf. Rainerian. *libram unam.*
S. Sumatur mane.

Dosis Aquarum, quae in adparatum digestionis et in cutim quoque egerunt, sensim augebatur ad libram unam et semis, et denuo ad libras duas. Sed thermis Aponensibus adhuc opus erat.

4. *Aquae St. Danielis* proxime ad Aponum frigidae scaturientes adhibebantur in eczemate chronico universali:

Rec. Aq. St. Danielis *libram unam.*
S. Sumatur mane ventriculo jejuno.

Serius vero balnea ex liquore hydrosulfuretico in usum tracta fuere. In scrofulosis pulmonum aut glandularum bronchialium tuberculis, praesertim cum statu adhuc aliquo subinflammatorio decurrentibus, aqua S. Danielis, utpote mitior, Rainerianae praeferebatur, haec vero in impetiginibus priori superior erat. Caeterum omnes hae aquae Euganeae, sive thermales calidae, sive frigidae potabiles, Sulfur minori tenent quantitate, et naphthae, uti Prof. Ragazzini comperit, nuptum, alias vero salem marino similem, Jodo et Bromo mixtum.

Aquae salino-martiales Catullianae (pone Recobarium).

Interne, cum vel sine lacte sumptae; in hepato-splenemphraxi ex febre intermittente, sub finem curae:

Rec. Aq. Catullian.
Lactis vaccin. *ãã unc. tres.*
M. D. S. Sumat una vice.

Vel: *Rec.* Aq. Catullian. *unc. tres.*
S. tribus vicibus interne sumendae.

Et quidem in leucorrhoea a statu pituitoso pendente, post evacuatam pituitam, post Myrrham et Calomel, fluxu tamen adhuc perstante. In tertiana duplici cum epigastralgia et oligaemia, epigastralgia vero et febri omni ex parte abactis, cruoris et totius massae organicae melioris elaborationis augmentum obtinebatur et unacum salus. In amenorrhoea cum fluore albo vicario et incipiente scorbuto in individuo scrofuloso, praemissis purgantibus, Rheo, amaris, acidis mineralibus et China. In blennorrhoea syphilitica cum hydrargyrosi, hac vero abacta, contra illam aquarum Catulli libra una quotidie consumebatur. Usus adhuc in melanchlorosi amenorrhoide.

Externe quoque adhibebantur, pro injectionibus primum ex aqua frigida, dein ex parte aequali aquae Catulli et aq. communis, in leucorrhoea superius mentionata: fluxus (penes usum internum) sensim imminuebatur, color cutis leucophlegmaticus

disparere incepit, viribus sese redintegrantibus. Sed cura confirmari adhuc fortioribus debuit.

Aquae acidulo-salino-ferruginosae Recobarienses.

Interne et externe. In eodem casu, quem penes tetigimus, in blennorrhoea syphilitica scilicet, post usum aquarum Catullianarum.

Rec. Aquar. Recobariens. *libram unam et semis.*
S. Omni mane libram unam, caeteram dimidiam misceat cum aqua frigida, pro lotionibus.

Sed blennorrhoea in eodem statu permansit, usque dum ad aquam Goulardi et vesicans recurreremus. Usus internus adhuc: in pellagra jam ad finem curae. In chlorosi secundaria, jam melius valente aegra, et antemissis amaris, aquarum Recobar. libra et mox librae duae quotidie sumtae optime conduxerunt, excepto fluxu menstruo, qui Aloës ope sollicitabatur. In hypertrophia cordis cum dilatatione atriorum, aortectasi et hydrope secundario, penes usum sulfat. Ferri, Digitalem et Juniperum, aquarum Recobar. libra ad mane praescripta non bene ferebatur. In cardiectasi passiva, et congestione hepatis venosa, hirudines ad anum, et aquae Recobar. valetudinem procuravere. Individuum quoddam hystericum ab arthorheumate per tincturam Colchici, et per aquas Recob. liberabatur. In phthisi evoluta, in statum alterum propendente cum phlogosi lenta pulmonis atque indicatio quoque pro hisce aquis erat.

Aqua maris Adriatici.

Admodum conveniens, certis sub conditionibus, suadebatur scrofulosis, phthisicis; et quidem balnea ex aqua maris, tepida, frigidiuscula, simplicia aut similiter cum algis Venetarum lacunarum cocta, stillicidia, lotiones etc. ex his thoraci, collo, cum frictionibus, aut sine iis factae. Ad phthisin et scrofulam sanandam ope algarum et aquae maritimae usus, non parum contribuit aër ipse marinus, climatis Venetiarum salutaris influxus; de cujus encomio, circa hoc argumentum plura vide in F. G. Lippich, adversaria med. clin. Ser. II., Fasc. II. pag. 162 et seqq. Singulari modo profuit clima Venetiarum et

balneum maris in aegro milite a scrofula blennorrhoica penitus restituendo.

Per transennam memorandae adhuc exstant *aquae Bohemiae amarae* in haemorrhoidibus, obstructionibus alvi, prosopalgia, etc. (unacum aliis remediis); et in specie *aquae Seidschützenses*, in scrofula et pulmonum tuberculosi. *Selteranae aquae* in catarrho laryngis chronico adhibitae sunt, jam purae, postea lacti unitae.

Argentum nitricum.

(Nitras Argenti, Lapis infernalis Ph. Austr.)

Interne, in epilepsia cum intercurrente quotidiana, quum post usum decocti Taraxaci infuso Chamomillae nuptum, in epilepsiam directe agendum et quidem fortiter esse censeretur. Adhibebatur nitras simplex, aut acidulus (binitras):

Rec. Nitrat. Argenti *grani* $^1/_4$ *partem*
Solve in
Acidi nitrici diluti *guttis duabus*
adde:
Aq. destill. comm. *unc. quatuor*
Syr. simpl. *unciam semis.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Potus largi mucilaginosi sedulo hauriendi suadebantur.

Quum vero de nocte ardorem ex medicamine experiretur aeger, dosis ad dimidium restringebatur.

Dosis Acidi nitrici sensim augebatur ad guttas octodecim, et nitratis Argenti ad granum semis intra diem. Per dies aliquot febri concomitanti opponebatur sulfas Chininae solutus in Acido sulf., sed illico post remedium superius resumebatur. Accessus in decursu hujus medicationis epilepticus ad prodroma potius nonnisi accedebat, tum intensitate, tum numero phaenomenorum ac duratione, initio per aliquot minuta aegrum corripiens, dein vero frequentius, sed tempore minori perdurans, praeterea sub plenilunio saevior factus, mitescens contra ratione regrediente. Nullae lyses. Aeger exire optabat. Cum admodum probabile sit, nitratem Argenti in ventriculi succo, in quo vix non semper Acidum muriaticum salem efficiens, aut liberum adest, destrui, et in muriatem Argenti haud solubilem abire, tentamina potius cum

hydrochlorate Argenti, ope abundantis Acidi hydrochlorici et Ammoniae solubili reddito institui decernebantur*).

Frustulum nitratis Argenti externe adhibebatur ad ustionem ulceris venerei; ad tangenda ulcera luxuriantia, praesertim scrofulosa; ad exstinguendam in primis initiis scabiem, et ulteriorem ejus evolutionem impediendam. Cura enim scabiei prophylactica consistebat, ut primum aliquae papulae pruriginosae conspiciebantur eorum, qui scabiosos incaute tractarunt, in prompta earum per Lapidem infern. destructione, quo facto, et altera, aut tertia vice iterato, diffusio morbi feliciter praepediebatur. Crustae in tinea scutulata jam magis exsiccatae, non dolentes, sed nimia pollentes vegetatione, ope Lapidis infern. sensim sensimque complanabantur:

Rec. Lapid. infernal. *drachmam semis.*
D. Calamo scriptorio exceptus et charta cerata obvolutus.

In erysipelate lymphatico proserpente cruris et faciei; ut ulterior propagatio arceatur, frusto Argenti nitrici fusi linea ducebatur in cute sana, in aliqua ab erysipelate distantia.

Haec methodus ab ectrotica Anglorum aliquorum, qui totam plagam erysipelaceam sic tangunt, satis diversa est.

Arnica.

Infusum aquos. fervidum radicis aut florum, interne ex drachma una et semis, sensim ad drachmas tres et semis pro colatura unc. octo, decem. In progrediente statu febrium nervoso, imminente colliquativo:

Rec. Flor. Arnic. mont. *drachm. unam*
Inf. s. q. aq. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Syr. simpl *unc. unam.*
D. S. Pedetentim.

Eadem formula, in cephalea rheumatica feminae hystericae, dolore aliquid jam imminuto ope vesicantis ad nucham, et Morphii acetici methodo endermatica appliciti. Continuabatur Arnica per dies quatuor, unde emendatio, sed sub ulteriore ad-

---

*) Talia experimenta in Clinico Vindobonensi 1842 contra epilepsiam institui coeperunt.

huo Arnicae usu sensus ponderis ad scrobiculum cordis et conatus ad vomitum: quae symptomata medicamine suspenso et potui limonato cedebant. Dolor vero capitis, Arnica licet iterum sumpta, denuo recruduit. Similis cephalea rheum. fere eodem modo, sed et cum Aconito tractata penitus evanuit.

Connubia. Cum Camphora, in f. gastrica c. nota catarrhali rheum. in nervosam lentam transgressa, cum exanthemate aphthoso in tractu intest. et cavo oris; c. Spir. Aeth. sulf., in febri gastrico-biliosa; c. Senega (ob tussim); c. Valeriana.

Rec. Flor. Arnicae mont. *drachm. duas*
Inf. s. q. aq. ferv. p. 1/4 h. v. cl.
Col. unc. decem adde:
Acetat. Ammon. solut. *drachm. unam*
Elaeosacch. cort. Aurant. *drachm. duas.*
M. D. S. Omni bihorio coch. 2.

Asa foetida.

Interne, in pilulis. Cum Ipecacuanha et Opio, in gastroarthralgia nervosa afebrili; in hypochondriasi cum incipiente cordis dilatatione passiva, quum pulveres Doweri non suffecissent ad dolores pellendos:

Rec. Pulv. Gummi-resin. Asae foetid. *drachm. unam*
— rad. Ipecacuanh.
Opii puri *āā grana tria*
Extr. Taraxaci q. s. ut f. pilulae Nr. XX.
Consperg. pulv. Liquirit.
D. S. Omni trihorio pilulae duae.

Cum Jalappa, in helminthiasi cum congestione menstrua:

Rec. Gummi-resin. Asae foet. *drachm. unam*
Pulv. rad. Jalapp. *grana quindecim*
Extr. Taraxaci q. s. ut f. pil. Nr. XXX.
Consperg. pulv. Liquirit.
D. S. Omni hora pilulae duae.

Simili modo parabantur pilulae c. Calomele; c. extr. cort. Chin. reg.; c. extr. Absynth.; c. extr. Valerianae.

Cum fl. Zinci et Hyoscyamo, in asthmate (cum verminatione) nervoso stipato a cordis ectasi ac hypertrophia simul cum pulmonum emphysemate (Vide *Morphium acet.*), magno cum emolumento ordinabatur:

Rec. Gummi-resin. Asae foet. *drachm. unam*
Flor. Zinci *scrupulum semis*
Extr. Hyoscyami nigr. *grana octo*
— Liquir. q. s. ad formandas pilulas granorum trium numero XXX.
Consp. pulv. Liquir.
D. S. Omni bihorio pilulae quatuor.

Cum extracto Gentianae (vide *Gentiana*). Cum Jalappa, Gummigutt. et extr. Taraxaci, in febre verminosa cum menosymphoresi incipiente, febre jam delitescente.

Forma emulsionis, in convulsionibus propter simulationem suspectis, qua medicina sumptu ingratissima (penes diaetam austeram et severum regimen):

Rec. Gummi-resin. Asae foetid. *drachm. unam*
Subige cum vitello Ovi; bene subactis sensim sensimque affunde:
Aq. commun. *unc. octo*
adde:
Sal. ammoniac. depur. *drachm. unam*
Mucilag. gummi arab. *unc. duas.*
M. D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

Externe, forma clysteris; in statu nervoso, quum alvus non mota esset:

Rec. Decocti Hordei l. a. parati *unc. decem*
Gummi-resin. Asae foetid s. q. vitell. Ovi subact. *drachmam unam*
Aceti Vini optimi *unc. semis.*
M. exactissime.
S. Clysma.

Quum alvus adhuc nulla secessisset, sequens:

Rec. Gummi-resin. Asae foetid. *drachm. tres*
Vitell. Ovor. q. s. ad subactionem, affunde:
Aceti Vini optim. *unc. unam*
adde:
Mell. commun. *unc. duas.*
M. exactissime.
S. Pro duobus clysteribus intervallo unius horae.

Sub initio curae encephalo-meningitidis c. nota verminosa:

Rec. Gummi-resin. Asae foetid. *drachm. unam*
Subige c. vitello Ovi, et suspende in:
Aq. calid. commun. *unc. sex*
adde:
Mell. commun. *unc. unam.*
M. D. S. Enema tepide injiciendum.

In pleurodynia cum nota verminosa, simplex enema ex gummi-res. As. f.; praemisso jam incassum enemate ex Lacte, et secessis inde lumbricoidibus:

Rec. Gummi-res. Asae foetid. vitello Ovi *unius* subact. *drachm. unam*
Suspende in:
Aq. calidae *unciis octo.*
M. D. S. Ut supra.

Aurantium.

Succus Mali Aurantii potui grato, reficienti inserviebat in variis febribus irritativis, aestatis praeprimis tempore:

Rec. Aq. commun. *libr. duas*
Succi Mali Aurant. *unc. unam*
Sacch. alb. *unc. unam et semis.*
M. D. S. Potus.

Infusum cort. Aurant. parabatur ex drachmis tribus, quatuor; c. g. in scorbuto:

Rec. Flaved. cort. Aurant. *drachm. tres*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. $\frac{1}{4}$ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Elixir acidi Halleri *drachm. semis.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Idem infusum unacum Rheo locum habuit, in febri gastrica, ad firmandam convalescentiam, ut ex innocenti illo stimulo quamdam recreationem et quoddam alacrioris vitae incitamentum nervi vegetationis animalis persentirent; itidem in catarrho intestinorum aphthoso egregie se praestitit inf. Rhei et cort. Aurant.: ex quo diarrhoea et aphthae disparuerunt, et urinae sedimentum lateritium mucosumque deposuerunt.

Syrupus cort. Aurant. in infusis nec non decoctis, e. g. ex infuso Rhei, in cholera orientali, ob symptomata dyspepsiae, etc. etc. (Vide *Cascarilla*)

Elaeosaccharum cort. Aurant. quammaxime diversis in pulveribus, in infusis, mixturis, ad drachm. semis, unam, duas.

Extractum cort. Aurant. ad drachm. semis, c. g. in chlorosi primaria:

Rec. Infusi rad. Rhei chinens. ex *drachm. una et semis*
parati *unc. decem*
Col. adde:
Extr. cort. Aurant. *drachm. duas.*
M. D. S. Omni hora cochl. cib. tria.

Aqua florum Naphae. Vide *Baryta muriatica.* In tabe mesenterica, cum debilitate summa, pulsibus frequentibus, debilibus, febrilibus, summum insequutum est levamen ex:

Rec. Aq. dest. fl. Naphae *unc. quatuor*
Elixir acid. Halleri *gutt. viginti*
Syr. Rubi Idaei *unc. unam.*
M. D. S. Omni hora cochl. cib. unum.

Addebatur quoque huic mixturae tinctura robor. **Whyttii.**

Auripigmentum.

Profuit in catarrho laryngis cum hydrargyrosi in epileptico (ex syphilide); praemisso unguento stibiato. Dosis fuit ab initio grani dimidii, dein sensim aucta ad gran. unum, unum et dimidium de die:

Rec. Auripigmenti *gran. unum*
Sacch. albi *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. sex.
D. S. Omni bihorio p. unum.

Aurum muriaticum natronatum,
s. Murias Auri et Sodae.

In osteo-adenitide scrofulosa cum zostere ligulari; praemissis Rheo c. Magnesia, empl. mercur. c. Cicut., Centaur. min. c. extr. Absynth., et cort. Peruviano:

Rec. Muriat. Auri et Sodae *granum semis*
Sacch. alb. *scrupulos duos*
M. exactiss. f. pulv. div. in dos. tres.
D. S. Margini linguae et gingivis intra diem singuli pulveres infricentur.

In syphilide inveterata facici:

Rec. Muriat. Auri et Sodae *gran. semis*
Amyli *scrupulos duos.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. quatuor.
D. S. Pro frictione in labii oris superficie interna.

Axungia porci.

Bene abluta, nec rancida unguentorum diversorum corpus constituit, et ad emplastra recipiebatur; huc pertinet ungnentum simplex, quod penes dec. solventia, diaphoretica suffecit ad plagas ulceratas adplicatum, rupiae febrili sanandae.

Ballota lanata.

Herba (et radix) praescribebatur in infuso, vel et in infuso-decocto ex unc. semis, ad colaturam librae. In hydrope ascite, quum post usum ung. neapol., linim. sapon.-camph. et extr. Squillae urinae adhuc parcae fluerent, sudores nulli observarentur, tumorque abdominis augeretur magis tensi duriorisque:

Rec. Herb. Ballot. lanat. *drachm. tres.*
Coq. c. s. q. aq. c. p. 1/4 h.
Col. unc. octo detur.
S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Sed nullum inde aeger persensit levamen, uti etiam e sequenti formula:

Rec. Herb. Ballotae lanat. *unc. semis.*
Inf. s. q. aq. ferv. p. 1/4 h.
Residuum coque p. 1/4 h.
Col. unc. octo adde:
Roob Juniperi *unc. semis*
Oxymell. squillit. *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

Altera adhuc fuit occasio praescribendi Ballotam in ascite et anasarca post febres intermittentes, sed incassum: nam mors est insequuta. Vix merito credimus hoc remedium a cel. Brera tantis encomiis cumulatum esse.

Balsamum Copaivae.

In catarrho febrili vesicae cum rheumate diffuso (ex blennorrhoea syphilitica), remissa jam febre et secretione mucosa no-

tabiliter infracta. Nubebatur quoque sulfuri aur. Antim., in pilulis.

Balsamum Opodeldoc.

Vide sub *Camphora*.

Bardana.

Decoctum ex semiuncia vel integra radicis, ad colat. librae unius; in impetiginibus variae indolis, in prurigine senili, in syphilide:

Rec. Rad. Bardanae *unc. duas*
Consc. coq. p. $\frac{1}{2}$ h. Col. librar. duarum adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Pro potu.

Rec. Rad. Bardanae *unc. unam*
Consc. coque c. s. q. aq. c. f. p. $\frac{3}{4}$ h.
Sub finem coctionis infunde:
Rad. Liquirit. consc. *unc. semis.*
Stent in digestione p. $\frac{1}{4}$ h.
Colatura librae unius exhibeatur.
S. Omni hora vascul. coff. unum.

Baryta muriatica, seu Murias Barytae.

Solutio et pilulae. A sexta grani unius (vel et minori) parte sensim sensimque ad grana duo, bis terve de die ascendebatur, et in casu tabis scrofulosae grano uno quotidie augendo dosim, grana tandem undecim intra nychthemeron propinabantur.

Rec. Aq. commun. dest. *unc. sex*
Muriat. Baryt. *granum semis*
Mucilag. gummi arab.
Syr. Diacodii *āā unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Locum habuit Baryta muriatica in scrofula rebelli; tabifica (mercuriali); in atrophia cum intercurrentibus inflammationis lentae gastrentericae et mesentericae signis, inflammatoriis symptomatibus utcunque devictis.

Rec. Muriat. Barytae *gran. semis*
Extr. cort. Peruvian.
— Quass. *āā scrupul. semis*
Pulv. cort. Peruvian. q. s. ut f. pil. Nr. XII.
D. S. Omni bihorio pilula una.

In laryngo-pneumophthisi tuberculari, antemisso Sphacrococco crispo, aq. Calcis, ung. ciner. c. extr. Conii methodo endermatica adplicito; doloribus vero in abdomine valde molestantibus:

Rec. Aq. dest. commun.
— fl. Naphae $\bar{a}\bar{a}$ *unc. duas*
Hydrochlorat. Barytae *gran. unum*
Mucilag. g. arab.
Syr. simpl. $\bar{a}\bar{a}$ *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. tria.

Sed mors est insequuta.

Belladonna.

Extractum interne in pulvere, in ictero febrili, praegressis solventibus, Rheo:

Rec. Extr. Belladonn. *grana duo* (tardius gr. tria)
Sacch. alb. *drachm. duas.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. octo.
D. S. Omni bihor. pulv. unum.

Cum sulfure aur. Antim., in tussi convulsiva (ex refrigerio), ope dec. Alth. c. aq. Laurocer. multum mitigata, sed adhuc molestante, sequens cum emolumento ordinabatur:

Rec. Sulfur. aurat. Antimon. *grana quatuor*
Extr. Belladonn. *gran. unum*
Sacch. alb. *drachm. duas.*
M. f. pulv. div. in doses aeq. xij.
D. S. Omni hora pulv. unus.

Pilularum forma. In hepatalgia:

Rec. Extr. Belladonn. *grana duo*
— Taraxaci *grana duodecim*
Pulv. rad. Liquirit. q. s. ut f. pil. octo.
D. S. Omni bihor. pil. una.

Ex pilulis extr. Bellad. unacum hydriodate Potass., mox emendatio sequuta est in metroparectamate cum menorrhagia symptomatica. Copulam quoque extractum Bellad. inivit cum sulfate Chin., in bronchitide convulsiva.

Solutio extracti ad sanationem theomaniae furiosae, unacum praemisso Tartaro emet. ad saturationem usque porrecto, optime contulit:

Rec. Aq. dest. Lauroceras. *unc. unam*
Extr. Belladonn. *grana quatuor.*
M. D. S. Omni bihorio guttae 30 sumendae.

Belladonna multum contribuit ad fugandam nevralgiam plexus hepatici: algema enim hepatis stricte in loco retro cystidem felleam eminebat, per accessus veniens, interstitiisque perfecte a dolore vacuis, per tres menses jam durans, non obediens curae antiphlogisticae, derivanti, eccoproticae, Conio maculato. Pneumo-catarrhus febrilis chronicus, sed praecunte alia cura; nevralgia brachialis a zostere relicta; et icterus irritativus febrilis remedio huicce cessere: disparuit enim in hocce casu cephalea frontalis pulsans, dolor et sensus ponderis in epigastrio, et quum alvus biliosa flavicans visa esset, extr. Bellad. gr. 3, c. Calomel. gr. 6. porrigebantur.

Externe. Litus oris (minus apte linctus), in isthmitide catarrhali rheumatica pustulante, succedente syphilide universali:

Rec. Mell. despum. *unc. unam*
Extr. Belladonn. *grana tria*
Borac. venet. *scrupul. unum.*
M. f. Litus oris ope penicilli instituendus.

Imminutio inde ruboris et tumoris sequuta (Analoge agit Scopolina). Collyrium in rheumatismo oculorum syphilitico:

Rec. Aq. dest. commun. *unc. quatuor*
Solve intus:
Mucilag. g. arab. *unc. semis*
Extr. Belladonn. *grana duo.*
M. f. Collyrium.
D. S. Frustulum panni linei ex solutione madidum adplicetur ad oculos.

Linimentum methodo endermatica adplicitum.

Rec. Mucilag. g. arab. *unc. semis*
Extr. Belladonn. *grana octo.*
M. f. liniment. S. Ad obducendam plagam vesicante sauciam.

Ex tali medicatione sanatio obtenta est in dolore rheumatico ad regionem lumbarem, in rheumatismo cephalico, thoracico; in nevralgia plexus coeliaci, postquam eccoprotica et Bismuthum incassum tentata fuerant. Sed per dies 17 haec methodus curae locum habuit; et ubi plaga exsiccata fuit, rursus renovabatur. In primo casu vesicans regioni lumbari, in secundo nu-

chae adplicitum fuit. Extracti Bellad. grana quoque duo nonnis quandoque praescribebantur.

Linimentum cum oleo Lavandulae ad mentem *Chevalier* locum habuit, in rheumatismo chronico:

Rec. Extr. Belladonn. *scrupul. unum*
Olei dest. Lavandul. *drachm. duas.*
M. D. S. Linimentum.

Sic ope hujus linimenti spondylorheuma lumbare rebelle, sociisque unguento stibiato, hirudinibus, Aconito, etc. victum fuit, non item opportunitas pro hoc malo. Arthrorheuma vero in chronicum decursum tendens, ab eodem linimento nullum expertum est levamen. Addebantur huicce formulae tinctura Opii et oleum Hyoscyami, in nevrorheumate ischiadico.

Linimentum cum oleo Hyoscyami, in ictero febrili, penes pulveres supra citatos ex extr. Belladonn., sed absque effectu:

Rec. Olei cocti Hyoscyami *unc. semis*
solve:
Extr. Belladonn. *grana sex* (postea gr. 12).
M. f. liniment.
D. S. Fiat unctio hypochondrii (quia ibi tensio erat).

Cum linimento saponato-camph., in nevrorheumate ischiadico afebrili, praemissis pulveribus Doweri c. Arcano dupl.:

Rec. Extr. Belladonn. *scrupul. unum*
Liniment. saponato-camphorat. *unc. semis.*
M. f. liniment.
D. S. Binis vicibus juxta decursum nervi ischiadici illiniendum.

Serius dosis Belladonnae ad gr. 12 imminuta, sed unguenti ciner. drachma huicce formulae eum effectu adjungebatur.

Unguentum methodo endermatica adplicitum, in oophoritide lenta cum hysteriasi:

Rec. Extr. Belladonn. *grana decem*
Ung. Hydrarg. ciner. *unc. unam.*
M. exactiss. f. unguent.
D. S. Plagae ex vesicante productae inungendum.

Solutio, epithemati inserviens, in nevralgia coeliaca post encephalitidem traumaticam:

Rec. Extr. Belladonn. *grana quatuor*
Aq. commun. dest. *unc. quatuor.*
D. S. Pro epithemate.

Bismuthum nitricum praec.

(Magisterium Bismuthi, Nitras Bismuthi praecipitatus)

In tertiana duplici cum epigastralgia et oligaemia, irritatione vero vasculari e stomachali scrobe exterminata per hirudines, Magisterium Bismuthi Opio nuptum omnem epigastrii hyperaesthesiam prompte exstinxit; in gastro-scleromate ad cardiam in primo stadio, Bismuthum c. Magnesia carbonica (postea cum Hyosc. junctum), praeter vesicantia ad scrobem cordis, Cassiam et Conium maculatum methodo endermatica adhibitum, cum fructu ordinabatur; in stenosi valvularum semilunarium praecipue aorticarum c. hypertrophia et ectasi cordis consecutiva et anevrysmate arcus aortae ex processu lithiaseos, Bismuthum cum acetate Morphii non sine emolumento exstitit. Dosis fuit granorum trium, quatuor, sex vel et ultra de die. Interne, in pulvere:

Rec. Magisterii Bismuth. *grana quatuor (quinque, sex.)*
Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. sex.
D. S. Omni bihorio pulv. unus.

Rec. Magisterii Bismuthi *grana sex*
Opii puri *gran. unum*
Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. sex.
D. S. ut supra.

Rec. Magisterii Bismuth. *grana sex.*
Extr. Aconiti Napelli *grana octo*
— Liquirit. *scrup. unum*
Pulv. Liquirit. q. s. ad pil. xij.
D. S. Omni bihorio pil. duae.

Idem medicamen methodo endermatica, aut solum, aut cum Aconito, in pulvere adplicabatur in nevralgiis gastricis.

Borax Veneta.

Pro usu interno copulabatur ad drachm. semis-unam infusis fl. Chamomill., Sambuci, Matricariae, nec non decoctis Alth., Hordei, Dulcamar.; sed et simplex in aq. dest. simplici soluta praescribebatur. Ad cursum menstrui sanguinis sollicitandum; in amenorrhoea retentionis; in chorea S. Viti in puella 18 annorum menstruis orbata per duos menses:

Rec. Aq. font. destill. *uncias octo*
Boracis venet. *drachm. semis*
Extr. Taraxaci *drachm. duas.*
M. D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

In bronchitide subconvulsiva cum erythemate rheumatico, in individuo scrofuloso-amenorrhoico; in colica catameniali:

Rec. Infus. Matricariae ex *drachm. sex* per ¼ h. parati *unc. decem*
Boracis venet. *drachm. semis*
Succi Liquirit. *drachm. duas.*
M. D. S. Omni hora vascul. coff. semis.

In catarrho febrili chronico cum diathesi tuberculosa in puella scrofulosa et chlorotica:

Rec. Dec. Alth. ex *unc. semis* per ¼ h. parati *unc. decem*
Col. refrigeratae adde:
Boracis venet. *drachm. semis*
Aq. dest. Lauroceras. *drachm. duas*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Epicratice.

Externe, pro illinitionibus aphtharum, vel etiam pro collutoriis et gargarismate. In laryngo-pneumophthisi tuberculari, lingua rubra (aderant enim aphthae cum doloribus et ulcerationibus in cavo oris):

Rec. Inf. hb. Malvae ex *unc. semis* parati *unc. decem*
Boracis venet. *drachm. unam*
Mell. despum. *unc. unam et semis.*
M. D. S. Collutorium et gargarisma.

In rheumatismo intercostali febrili cum angina faucium ulcerosa syphilitica, cum suspicione tuberculorum:

Rec. Dec. Malvae ex *unc. una* parat. *libram unam*
adde solvendo:
Boracis venet. *drachm. unam.*
M. D. S. Collutorium.

Litus oris, unacum Belladonna. Vide *hanc.*

Butyrum recens insulsum.

Pro emollitione crustarum in tinea capitis; pro medicatione vesicantis.

Butyrum Cacao.

Suppositoria, in tabe mesenterica, tumore haemorrhoidali rupto:

Rec. Butyri Cacao *unc. unam*
Extr. Hyoscyami *scrupul. semis.*
Malaxentur exacte, ut fiant suppositoria Nr. duo.
D. S. Subponantur in anum mane et vesperi.

In eodem casu, loco priorum:

Rec. Butyri Cacao *unc. unam*
Ceruss. alb. *drachm. unam.*
Malaxentur invicem exacte, ut f. suppositoria Nr. duo.
S. uti supra.

Connubium cum Cera citrina et spermate Ceti, vide *hoc;* illud cum Mercurio praecip. rubro, vide.

C a i n c a.

Interne, decoctum ex unc. semis, una, ad colat. librae unius; in ascite diffuso, post tot paracenteses non aliter sanato, ac peritonitide traumatica:

Rec. Cort. rad. Caincae *unc. semis*
Ruditer tusum digere in aqua frig. per 4 horas.
Dein coque per ½ hor. Col. unc. octo adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Reliqua vide in *Ballota lanata.* Vix plus ista praestitit.

Calamus aromaticus.

(Acorus Calamus Bot.)

Pulvis, ad complendam formam pilularum, c. extr. Trifol. fibr.; c. Ferro sulf.; c. extr. malatis Ferri et extr. Absynth.; c. extr. Quass. et extr. cort. Peruv.; c. extr. Trifol. fibr. et Rheo; c. Camphora et extr. Chamom.; c. sulf. aur. Antim., Squilla et extr. Dulcamar.; c. pulv. fl. Arnicae; porro cum extractis diversis.

Infusum, ex drachm. duabus ad col. unc. octo; in quotidiana lenta cum catarrho chronico, parcsi rheumatica et incipiente hydrope, quum adesset summa debilitas, febri vero per Chininum sulf. jam fugata:

Rec. Radicis Calami aromatici *drachm. duas*
Inf. s. q. aq. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. octo detur.
S. Epicratice sumendum.

Calcaria chlorica, Chloras Calcis.

Usus externus magis placuit. In residuis psorae siccae a methodo anglicana relictis; in tinea scutulata:

Rec. Aq. commun. *libr. unam*
Chlorat. Calcis *drachm. unam.*
M. D. ad lagenulam probe clausam.
S. Pro lotionibus.

Injectiones ex inf. cap. Papaveris ac hb. Malvae, instituebantur in scrofula cum ozaena et saniosa rhinorrhoea; sed magis profuit Scopolina atropoides. In pemphigo scorbutico, praemissis in cura cortice Peruviano et Graphite:

Rec. Chloratis Calcis *unc. semis.*
D. in vitro probe clauso.
S. Balneo admisceatur.

In stomacace scorbutica, ad foetorem oris corrigendum; forma rotularum:

Rec. Chlorat. Calcis *scrupul. unum*
Amyli *drachm. unam et semis*
Olei dest. Caryophyllor. *gutt. quatuor*
Mucilag. gummi Tragacanth. q. s. ut f. l. a. rotulae quindecim.
D. S. Teneat in ore unam omni bihorio.

Pro fomentis, in febri nervosa parti ex decubitu gangraenescenti adplicabatur sequens:

Rec. Cort. Peruv. fusc. rud. tus. *unc. unam*
Coque c. s. q. aq. comm. per horam
Col. libr. unius adde:
Chloratis Calcis *drachm. unam.*
D. S. Pro fomento.

Fumigationes ex chlorate Calc. instituebantur post singulas alvi depositiones in febribus typhoideis.

Calcaria hydrochlorica s. Murias Calcis.

Interne nonnisi, in scrofula cum nota gastrico-verminosa, post alia medicamina

Rec. Aq. dest. Melissae *unc. sex*
Hydrochloratis Calcis *gran. unum*
Syr. cort. Aurant. *unc. semis.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. unum.

Aqua Calcis.

Interne, ab unc. semis, ad integram, et ultra, in catarrho febrili vesicae cum rheumate diffuso ex blennorrhoea syphil., quum adesset praeter copiam densi muci puriformis sanguine tincti in urinis graveolentibus, continuus tenesmus; in hepatorrhoeae decremento:

Rec. Dec. rad. Gramin. ex *unc. duabus* parati *unc. decem.*
Col. refrig. adde:
Aq. destill. Laurocerasi *drachm. duas*
— Calcis rec. parat. *unc. semis*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

In priori casu ordinabatur ex dec. Alth., addito syrupo Diacodii; et penes dictum medicamen hirudines ad perinaeum, clysma oleos., balsamum Copaivae quoque in auxilium debuerunt vocari. Simili modo haematochesis inflammatoria chronica (fluxus hepaticus improprie sic dictus) post hirudines, cataplasmata, Tamarind., Lauroceras., et Malum Granatum, cum aqua Calcis et extr. Myrrhae feliciter oppugnabatur, seu potius haematocheseos e laxitate continuantis residuum auferebatur.

Internus adhuc usus locum habuit, pro diaeta, unacum lacte, in laryngo-pneumophthisi tuberculari, penes inhalationes ex tinctura Jodii et Sphaerococco crispo:

Rec. Lactis vaccin. rec. *libr. duas*
Aq. Calcis rec. parat. *unc. duas.*
M. D. S. Sit pro diaeta.

Externe, in blennorrhagia vesicali et fluore albo:

Rec. Aq. dest. commun. *unc. octo*
— — Lauroceras.
— Calcis rec. parat. *āā unc. unam*
Mucilag. gummi arab. *unc. semis.*
M. D. S. Pro injectionibus in vesicam et vaginam.

Calcaria sulfurata, s. Sulfuretum Calcis.

(Hepar Calcis Ph. Austr.)

Interne. Pulvis, a scrupulo, ad duos sensim aucta ipsius dosi cum saccharo commixtus, in tremore mercuriali:

Rec. Sulfuret. Calcis *scrupul. unum*
Sacch. alb. *drachm. unam et semis.*
M. f. pulv. aequab.
D. ad lagenulam bene clausam.
S. In quinque vicibus sumendus.

Forma pilularum, unacum Scopolina, in blennorrhoea syphilitica cum hydrargyrosi, faucibus enim ulceratis, labiis et ore dolentibus, deglutitione difficili:

Rec. Sulfuret. Calcis *grana duo*
Extr. Scopolin. atropoid. *grana quatuor*
Micae panis alb. q. s. ad pilulas octo.
Consperg. pulvere Liquirit.
D. S. Omni dimidia hora pilula una.

Dosis Scopolinae et sulfureti Calc. augebatur ad *āā* grana sex. Penes sulfuretum Calcis, liquor hydrosulfureticus in usum lubenter trahebatur.

Liquor hydrosulfureticus pro balneo.

Sic in ultimo hocce casu libra una ejusdem liquoris externe pro balneo adhibebatur quotidie, usque dum convalescens ex hydrargyrosi exstitisset. Hydrargyrotromus cum paresi, praemissis floribus Sulf. c. Magnesia, aliisque sudoriferis, cessit tandem balneis hydrosulfureticis, et sulfureto Calcis, sub sudoribus, urinis largis et hypostaticis. Alter fuit casus pareseos agitantis mercurialis in juvene annorum 16, qui in pileis conficiendis Mercurium tractavit. In artubus lateris dextri, sensus debilitatis, torporis et recurrentis myrmekismi quandoque etiam motus involuntarii, quibus brachium dextrum et ambae extremitates agitabantur, tremorum adinstar, cum temporaria impotentia standi pedibus, reliquis vero functionibus illaesis, nisi levem balbutiem excipias. Per dies 17 continuabatur tantummodo in balneis grad. 15 cum liquore hydrosulfuretico, et interne infuso Tiliae omni vespera ordinato. Die 20. curae ordinabatur fl.

Sulf. drachma ½ pro die, balneorum temperatura sensim ad gradus 25 — 26 adaucta. Sudavit aeger moderate post quodvis balneum, sed et noctu, rarius recurrebat sensus ille torporis et myrmekismi, non amplius terrebant extremitatum inferiorum tremores. Sub usu denuo sulfureti Calcis ad grana quatuor quotidie (a die 28. curae) facto, et balneis interea continuatis aeger saluti perfecte restitutus, post dies 39 commorationis in Clinico, domum rediit. Optime adhuc quadravit liquor in tinea favosa cum residuis syphilidis, sub finem curae; itidem in eczemate chronico universali, post usum hydriodatis lixivae et aquarum S. Danielis, quum status idem adhuc perstaret.

Rec. Liquor. hydrosulfuret. pro balneo *libr. unam.*
S. Aquae pro balneo uniatur.

Camphora.

Interne. Pulvis ad grana tria, sex, decem, duodecim, sexdecim pro die.

Rec. Camphor. ras. *grana tria*
Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. sex.
D. S. Omni bihorio pulv. unus.

Praescribebatur haec formula in f. gastrico-nervosa, itidem in tabe dorsuali cum fiente epilepsia; dosis sensim augebatur ad grana sexdecim.

Cum Nitro, in hepatitide typhoidea:

Rec. Camphor. ras. *grana octo*
Nitri puri *drachm. semis*
Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. sex.
D. S. Omni bihorio pulv. unus.

Ita quoque in f. gastrico-typhode, jam vero conciliata majore sensibus tum externis tum internis promptitudine, motibus tamen languentibus, tum voluntariis, tum involuntariis; hi cum pauxillo aurae camphoratae cum Nitro leniter augebantur. Sic aura Camphorae conveniebat in metastasi ad cerebrum, non qua stimulans, sed uti diaphoresin promovens et systema nervosum sedans.

Cum Ipecacuanha, in pneumo-et entero-phthisi sensibilitas in hypogastrio imminuebatur; adjuvabatur natura in expellendo extra pectus morboso producto, in pneumo-bronchitide catarrhali (penes dec. Seneg., muriat. Ammon. c. Oxymell. squill.):

Rec. Pulv. rad. Ipecacuanh. *grana decem*
Camphor. ras. *grana sex*
Sacch. alb. drachm. *unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. sex.
D. S. Pulvis sumatur omni altera hora.

Cum Calomele, quando pulsus jam concitabantur a Camphora, hac ipsa vero adhuc opus erat; in hepatitide typhoidea:

Rec. Calomel. laevig.
Camphor. ras. *āā grana sex*
Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. sex.
D. S. Omni bihorio pulv. unus.

Cum Castoreo et extr. Hyoscyami, in blennorrhagia vesicali:

Rec. Camphor. rasae
Castorei moscovit.
Extr. Hyoscyami *āā grana sex*
Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. sex.
D. S. Omni bihorio pulv. unus.

Cum extracto Chamomillae, in febre gastrica cum nota catarrhali rheumatica transgressa in nervosam lentam cum exanthemate aphthoso in tractu intest. et cavo oris:

Rec. Camphor. ras. *grana quatuor*
Extr. Chamomill. *scrupulum unum*
Pulv. Calami aromatici q. s. ut formentur pilulae Nr. octo.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Forma pilularum, in tabe dorsuali incipiente:

Rec. Camphor. ras. *grana sexdecim*
Extr. Hyoscyami *grana octo*
— Liquirit. *scrupul. unum.*
Pulv. Liquir. q. s.
M. f. pilulae Nr. XXIV.
D. S. Omni hora pil. unam.

Ex infuso Ipecacuanh., in f. nervosa, ad grana sex, serius dosi aucta; in bronchitide psorica c. peripneumonia succedanea in decursum lentum vergente, alvo profusa et symptomatibus aliis nervosis praesentibus:

Rec. Infus. rad. Ipecacuanh. ex *granis viginti quinque* parat. *unc. octo*
Camphor. s. q. mucilag. g. arab. subact. *grana duo*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio vasc. semis.

Simili modo et in similibus morborum formis, ex infuso Angelicae, Melissae, Arnicae, etc., etiam ex decocto Senegae (unacum Nitro), uti in pneumonitide et meningitide cum apathia, cuti sicca, expectoratione nulla.

Ex emulsione spuria, in blennorrhagia vesicali:

Rec. Olei Amygdal. dulc. rec. pr.
Syr. Diacodii *āā unc. unam*
Pulv. g. arab. q. s. ad perfectam olei subactionem.
Bene subactis adde:
Aq. commun. *unc. octo*
Extr. Hyoscyami *grana sex*
Camphor. muc. g. ar. subactae *grana quatuor.*
M. D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

Externe. In substantia; contra anaesthesiam paraplegicam c. nota rheumatica:

Rec. Camphor. in toto *drachm. semis.*
S. Pro usu externo. Leviter obducatur linteum, quod tepefactum imponatur extremitatibus inferioribus.

Sic Camphorae lucidae drachmae duae consumebantur ad obducendum pannum laneum, et ad involvendas extremitates inferiores usque ad partes pudendas, in hypertrophia cordis cum dilatatione atriorum, aortectasi et hydrope secundario, anasarca.

Oedema erysipelaceum seroti et cruris sanabatur absque aliis, cum solo decocto Graminis, externe cum farina Fabarum, et quum cresceret flacciditas, cum:

Rec. Farin. Fabarum *libr. semis*
Camph. ras. *grana sex.*
M. S. Pro usu externo, adspersione scilicet in scroto et crure.

Pulvis sacculo inclusus, in tabe dorsuali incipiente:

Rec. Camphor. ras. *drachm. unam*
Contere cum:
Furfur. Tritici *unc. una.*
S. Sacculo inclusus pulvis adplicetur regioni perinaei.

Linimentum saponato-camphoratum.

(Balsamum Opodeldoc Ph. A.)

In ascite diffuso:

Rec. Liniment. saponato-camphorat. *unc. duas.*
S. Ungatur abdomen bis in die, ad magnitudinem nucis.

Cum tinct. thebaica, in statu f. nervoso, abdomine meteoristico, dolente:

Rec. Liniment. saponato-camphorat. *drachm. sex*
Tinct. thebaicae *drachm. unam et semis.*
M. S. Pro frictione ad abdomen.

Cum oleo coct. Hyoscyami, in gastro-arthralgia nervosa afebrili; myorheumate febrili; in rheumatismo articulari inflammatorio:

Rec. Liniment. saponato-camphorat.
Olei cocti Hyosc. *āā unc. semis.*
M. S. Fiant unctiones in regione scrobiculi et ad genua (in secundo casu, ad partem dolentem; in tertio casu, dosi Camphor. ad dr. duas restricta, in humero, et imponatur stupa cannabina).

Unacum oleo Hyoscyami et tinctura Opii, in anevrysmate aortae thoracicae.

Cum oleo Hyosc. et extr. Conii macul., in hepato-splenemphraxi:

Rec. Liniment. saponato-camphorat.
Olei cocti Hyosc. *āā unc. semis*
Extr. Conii maculat. *drachm. unam.*
M. D. ad lagenul. bene clausam. S. Inungatur mane et vesperi pars adfecta ad magnitudinem dimidii cochlearis cibarii.

Sic in hypertrophia lienis, linimentum sapon.-camphor. una cum extr. Conii suffecit.

Cum unguento Hydrargyri cinerei; in peripneumonia rheumatica, persistente adhuc affrictu.

Cum eodem unguento et Belladonna, in nevrorheumate ischiadico afebrili:

Rec. Liniment. sapon.-camph. *unc. semis*
Ung. cinerei *drachm. unam*
Extr. Belladonn. *grana duodecim.*
M. exactiss.
D. ad lagen. bene clausam.
S. Ungendum per decursum nervi ischiadici lateris sinistri.

Cum eodem ung. et extr. Conii macul., in hepatitide phlegmonosa, duritie quadam adhuc perstante indolente sub attactu, in hypochondriis:

Rec. Liniment. sapon. - camphorat. *unc. unam*
Ung. Hydrarg. ciner. *drachm. tres*
Extr. Conii maculat. *drachm. unam.*
M. D. S. Pro unctione regionis hypochondriacae dextrae.

In hydrope ascite:

Rec. Liniment. sapon. - camphor.
Ung. Alth. *āā unc. unam*
— Hydrarg. ciner. *unc. semis.*
M. D. ad vitr. probe clausum.
S. Pro illinitione abdominis.

Vide adhuc connubium c. tinctura Cantharidum, oleo dest. Juniperi, tinct. Opii.

Cannabis sativa.

Interne. Emulsio, in haematuria renali, blennorrhagia vesicali, urethrali, stadio scilicet inflammatorio, cum vel absque Amygdalis, extr. Hyoscyami:

Rec. Semin. Cannabis contus. *unc. unam et semis*
F. l. a. Emulsio, c. s. q. aq. comm. ad Col. libr. unius
adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Epicratice.

Rec. Semin. Cannabis
Amygdal. dulc. excort. *āā unc. unam.*
Contritis affunde sensim sensimque
Aq. commun. *unc. decem*
Col. adde:
Extr. Hyoscyami *grana quatuor*
Sacch. albi *unc. unam.*
M. D. S. Epicratice.

Praeter ejusmodi medicamina ad perfectam sanationem contulere: potus ex semin. Lini, fomenta ex Malva, ex Lino, Hyosc. et Lacte, clysteres ex oleo sem. Lini; linimenta ex ung. neapol., extr. Belladonn. et oleo cocto Hyoscyami.

Stupa cannabina externe obvolvendis articulis, rheumatismo correptis inserviebat; et fracta jam phlogosi, stupa cannabina cum tinctura Opii adspergebatur, si dolor residuus erat.

Cantharides.

Emplastrum Cantharidum ad normam Ph. Austr. paratum supra linteum extensum adplicabatur nuchae, in tromophrenesi bibonum in characterem nervosum abeunte; in hemicrania rheumatica, in encephalitidem suppurantem versa, aut in hemicrania simplici, postquam hirudines incassum adplicitae fuerant. Adplicatio ad sternum, in pneumobronchitide catarrhali, febre in nervoso-colliquativam abeunte, unde tussis et respiratio liberiores evadebant; in pneumonitica typhode; in catarrheumate thoracis, quum post plures iteratas hirudines dolor rheumaticus denuo recrudesceret:

Rec. Empl. Cantharid. sec. Ph. A. parati *unc. unam.*
Extende super linteum magnitudine pollicum trium, in marginibus cerato adhaesivo munitum.
S. Adplicetur ad partem dolentem.

Adplicatio ad regionem intrascapularem, in pneumonia, febre in characterem nervosum abeunte; in phthisi tuberculari exulcerata. Adplicatio ad collum, in isthmitide phlegmonosa, tonsilla dextra leviter tumente. Vesicantibus ad mammas applicitis, praeter exspectationem cito victa fuit menorrhagia a nimio coitu cum oophoritide lenta decurrens antiphlogisticis resistens. Ad scrobum cordis, in gastro-scleromate ad cardiam in

primo stadio. Ad abdomen, in ascite diffuso; in febre nervosa paracholerode, cum parenteritide ulcerante; ad epigastrium, in epigastralgia; in diarrhoea pellagrosa; circa umbilicum, in febribus gastrico-nervosis cum parenteritide mucoso-folliculosa symptomatica. Supra pubem, in nephro-urocystophthisi; ad plantas pedum, in f. gastrico-rheumatica c. praevalente affectione spinae dorsalis. Ad brachia, vesicantia perpetua in pneumophthisi tuberculari ponebantur.

Sequens emplastrum, Cantharidinae dictum a clar. Patavino Professore Steer inventum, adhibebatur in blennorrhagia vesicali:

Rec. Pulv. Cantharid. *unc. semis*
In frusto panni linei ligatum coque cum olei Olivar.
unc. tribus
Sub continua agitatione adde:
Cerae alb. q. s. ad consistentiam Emplastri.
S. Empl. cantharidinae.

Adhibebatur dr. una, duae etc. pro re nata.

Tinctura Cantharid. in formam linimenti redacta, in hydrope ascite:

Rec. Tinctur. Cantharid. *drachm. unam*
Liniment. saponato-camphorat.
Olei dest. Juniperi
Ung. Hydrarg. cinerei *āā drachm. tres.*
M. D. S. Pro frictione abdominis.

Pulvis Cantharid. ad vim irritantem emplastri vesic. acuendam quandoque sumebatur. Vesica ex emplastro Canth. producta, aperta aut sanationi spontaneae, prout medentis scopus, aut cum butyro rec. insulso, aut unguento simp., aut unguento Plumbi acetici lino exceptis tegebatur, secretio vero sustinenda erat per digestivum unguentum. Methodo endermatica variae substantiae plagae sauciatae resorbendae tradebantur: mercurialia, Conium macul., sulfas Chinin., Morphium acet., extr. Squillae, etc. etc.

Capilli Veneris.

Syrupus ad unc. unam, unam et semis, sed raro, decocto Sphaerococci crispi addebatur; vide *Cassia*.

Carex arenaria.

In decocto ex unc. una, vel drachmis sex, ad colat. librae unius; in syphilide:

Rec. Rad. Caricis arenar. *unc. semis*
Coque c. s. q. aq. p. ¼ h.
Col. libr. unius adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Epicratice.

Caryophylli.

Oleum destill. Caryoph. in connubio c. chlorate Calc. forma rotularum adhibebatur, ad foetorem oris tollendum.

Cascarilla.

Extractum ipsius ad drachm. semis, vel scrupulos duos, praescriptum in febri intermittente cum catarrho chronico:

Rec. Flaved. cort. Aurant.
Rad. Rhei chin. r. t. *āā drachm. unam et semis*
Inf. s. q. aq. c. font. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. decem adde:
Extr. Cascarillae *drachm. semis.*
M. D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

Cassia.

Ipsius *Pulpa* ab uncia una, una et semis, sola pro una vice, aut ad unc. duas et ultra in diversis decoctis emollientibus et solventibus, addito Sale cathartico, aut in solutione in aqua quadam dest. aromatica, aut in electuario. In oophoritide lenta cum hysteriasi:

Rec. Pulpae Cassiae *unc. unam et semis.*
S. Pro una vice sola.

In diarrhoea pellagrosa; sub initium curae:

Rec. Aq. font. *libr. unam*
Pulp. Cassiae *unc. unam*
Sal. ammon. depur. *drachm. unam*
Succ. Liquir. *drachm. unam.*
M. D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

In biliosa febri:

Rec. Dec. Gramin. ex *unc. duabus* parati *unc. decem*
solve:
Pulpae Cassiae *unc. duas.*
D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

In f. rheumatico-gastrica in hysterica:

Rec. Pulp. Cassiae *unc. unam*
solve in:
Aq. dest. Foeniculi *unc. quatuor*
adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Duabus vicibus sumatur.

In febribus gastricis delicatiorum, etc.:

Rec. Fruct. Tamarind. enucl. *unc. duas*
Coq. c. s. q. aq. c. p. $\frac{1}{4}$ h.
Col. unc. octo adde solvendo:
Pulp. Cassiae *unc. unam*
Sal. Seignett. *unc. semis*
Syr. Capillor. Veneris *unc. unam et semis.*
M. D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Electuarium, in rheumatismo articulari febrili:

Rec. Pulpae Cassiae *unc. duas*
Cremor. Tartari *drachm. sex.*
M. f. Electuarium.
D. S. Epicratice.

Pulpae Cassiae usus quoque erat in influentia catarrhali, isthmitide catarrhali, in colepatitide ex colica spastica, etc.

Castoreum.

Interne, pulvis, cum Magnesia, sub insultu hysterico:

Rec. Castorei moscovit. *grana sex*
Magnes. carbon. *drachm. semis*
Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. novem.
S. Omni bihorio pulv. unus.

Cum extr. Belladonn., in oophoritide lenta cum hysteriasi:

Rec. Extr. Belladonn. *grana duo*
Castorei moscovit. *grana sex*
Magnes. carbon. *scrupul. unum*
Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. exacte f. pulv. div. in doses aeq. Nr. sex.
D. S. uti supra.

Cum Opio, in eodem casu:

Rec. Castor. moscov. *grana sex*
Opii puri *grana duo*
Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. quatuor.
D. S. Unus pulvis omni hora ad vesperam.

Cum extr. Conii macul., et fl. Zinci, in pneumophthisi tuberculari in secundo stadio, quum Morphium aceticum nullam ostendisset vim tussim sedandi, et summa exaltatio esset systematis nervorum, in femina hysterica:

Rec. Castorei optimi
Fl. Zinci
Extr. Conii macul. *āā grana octo*
— Liquirit. q. s. ut form. pil. xij.
D. S. Omni bihorio pilula una.

Postea, quum vomitus ex remedio productus esset, *āā* grana quatuor Castor. et fl. Zinci nonnisi praescribebantur.

Eodem modo ordinabatur Castoreum cum pulv. Rhei, fl. cort. Aurant., Camphora, extr. Hyosc., Calomele.

Pilulae, in chlorosi juncta cum hysteriasi:

Rec. Castorei moscovit.
Extr. malat. Ferri *āā grana quindecim*
— Hyoscyami nigr. *grana sex*
— Centaur. min. *drachm. semis*
Pulv. Calami arom. q. s. ut f. pil. XXX.
Consperg. pulv. Lycopodii.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Tinctura Castorei, ad gutt. 7 — 25, ter, quater de die ordinabatur; e. g. in helminthiasi cum congestione menstrua et erethismo nervoso:

Rec. Tinctur. Castorei *drachm. semis*
Aq. dest. Lauroceras. *drachm. sex.*
M. D. S. Guttae 15 — 20 sub insultu doloroso hauriendae cum aqua.

Centaurium minus.

Infuso-decoctum ex drachmis tribus, ad col. unc. sex; in osteodenitide scrofulosa cum zostere ligulari praemisso Rheo c. Magnesia:

Rec. Herb. Centaur. min. *drachm. tres*
Fiat infusum aq. ferv. p. $^1/_4$ h. v. cl., dein coque per
quinque minuta; Col. unc. sex adde:
Extr. Absynth.
— cort. Peruvian. *āā scrupulum unum.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. unum.

Decoctum herbae ex unc. semis, ad col. unc. octo — decem paratum, cui pro re nata aliud pharmacon addebatur; in amenorrhoea c. fluore albo:

Rec. Herb. Centaur. min. *unc. semis*
Consc. coq. c. s. q. aq. p. ½ h.
Col. unc. octo adde:
Elixir acidi Halleri *scrupul. unum.*
D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

Ipsius *extractum* in pilulis qua constituens, cum sulf. Chinin., fl. Sal. ammon. mart., Felle Tauri, cortice Peruv.; porro in diversis mixturis cum tinctura Rhei aquosa, liquore anod. min. Hoffm., Spir. Aether. nitrici, et aqua quadam aromatica, etc.

Cera alba.

Ad emplastra recipiebatur; vide *Pinus.* Cum tela cerata obducebantur extremitates inferiores, in anaesthesia paraplegica cum nota rheumatica.

Cera citrina.

Vide connubium cum Cetaceo et butyro Cacao; unacum resina Pini et Cerussa..

Cerasus nigra.

Aqua destillata Cerasorum nigr. ad uncias quatuor sexve aliquoties addebatur aliis medicamentis saporis et odoris gratia; sed quum ad cognitionem perventum esset, hanc aquam destillatam Patavii usitatam non esse, et illius loco, si quis medicorum eam praescriberet, Spiritum Cerasorum nigrorum substitui, ab ulteriore ejusdem praescriptione desistebatur.

Cetaceum.

(Sperma Ceti)

Emplastrum, in tinea scutulata, crustis facici valde prurientibus et dolentibus:

Rec. Cetacei *unc. semis*
Cerae citrin.
Butyri Cacao *āā drachm. duas.*
Confric. ad ignem candelae; massa extendatur in frusto panni linei magnitudinis palmae manus.
S. Adplicandum supra crustas faciei.

In orchitide traumatica:

Rec. Cetacei *unc. quatuor*
Pulv. hb. Cicutae *drachm. duas*
Axung. suill. *unc. semis.*
Funde super ignem leniorem, sub continua agitatione.
S. Extens. adplicetur ad partem omni dimidia hora de die.

Chamomilla vulgaris.

Interne. Infusum in catarrho intestinali cholerode; in chlorosi, praesertim primaria; in quartana cum hepatosplen-emphraxi consequente, durante stadio frigoris fortis et prolongati, in tertiana cum catarrho suspecto in individuo scrofuloso, ob leniendam tussim; in epilepsia thea Chamomill. affatim hauriebatur; ad convalescentiam firmandam ex pneumobronchitide in individuo cardiaco; in leucorrhoea a statu pituitoso pendente (c. tinct. Rhei, et elaeos. cort. Aurant.).

Rec. Flor. Chamomill. *unc. semis*
Inf. s. q. aq. ferv. p. $^1/_4$ h. v. cl.
Col. librae unius detur.
S. Epicratice.

Addebatur quoque nonnunquam uncia syrupi simpl., aut Diacodii, tinctura Opii simpl.; occurrebat infuso-decoctum cum Alth., Trifolio fibr., Absynth.: cui colato addebatur extr. Gentian., Absynth., Centaur. min., etc. Connubium cum Borace fovendis menstruis bene prospexit. In quotidiana cum affectione gastrica et tumore lienis in haemorrhoidario, infusum cum syr. Aurant. frigoris tempore epicratice sumebatur. Frequens connubium cum Senna vide.

En formulam, in rheumate intercostali, morbo jam aliquatenus fracto, febre vero intermittente ex intemperie atmosphaerica denuo recrudescente, quum febrifugo mitiori opus esset:

Rec. Rad. Taraxaci *unc. unam*
Consc. coque c. s. q. aq. p. $^1/_4$ h.
Sub finem coctionis infunde:
    Chamomillae vulgaris *unc. semis.*
St. adhuc in digest. ferv. p. $^1/_4$ hor. vase clauso.
Col. fortiter expressae unc. decem adde:
    Sal. amari *unc. semis*
    Syr. Cichor. c. Rheo *unc. unam.*
M. D. S. Omni dimidia hora vascul. coff. semis.

Pulveris q. s. ad electuaria recipiebatur.

Externe. Infusum cum hb. Malvae ad lavandum oculum dolentem cum amblyopia, in pleuropneumonitide rheumatico-catarrhali. Pro clystero, in hypochondriasi, haerente alvo; in insultu cataleptico e gastralgiae summo gradu:

Rec. Fl. Chamomill. *unc. unam*
Inf. s. q. aq. p. $^1/_4$ h. v. cl.
Col. librae unius adde:
    Olei Lini *unc. duas.*
S. Clysma.

Idem enema addita unc. semis Sal. culinaris, in f. biliosa quotidiana, urgentibus symptomatibus cephalicis, nec non sub paroxysmo forti hujusce febris ad intermittentem tendentis, cum alvus obstipa esset.

Extractum aliis pilulis, e. radice Rhei, praeparatis Ferri etc., vel solutionibus addi solebat.

Chelidonium majus.

Succus herbae externe in syphilide pustulosa ad illiniendas faciei crustas adhibebatur; ab *extracto* ejus herbae et radicis hepatitidis lentae consectaria, in scleromate collocanda multum emendata fuere.

China flava, s. Cortex regius.

Interne. Decoctum ex unc. semis, una. In quotidiana cum gastrismo irritativo, silente febre ex irritatione gastrica abacta, detersoque tubo cibario, quo tutior sit erga febris recursum praemunitio, quum non sine delassatione extra lectum versari aeger posset; in tertiana duplici anomala c. hepatemphraxi, praemissis solventibus et emesi praevie inducta; in convalescentia ex febre

nervoso-colliquativa; in amenorrhoea c. fluore albo et incipiente scorbuto in scrofulosa, post usum Rhei et acidorum mineralium, in pellagra progressa, post Sennam, Rheum, hirud., sinapism., emeticum, et ante Ferrum sulfuricum; in atrophia, devictis symptomatibus inflammatoriis, et ope Barytae muriaticae molliori reddito abdomine; in scrofula, in gratiam olei Jecoris Aselli bene procedente; in amenorrhoea c. fluore albo; in plurimis casibus, ubi Chinini sales accessus febris intermittentis vel non fugarunt, vel nisum ad relapsus non satis praecavebant.

Rec. Cort. Chin. reg. rud. tus. *unc. semis*
Coque c. s. q. aq. p. ½ h.
Col. unc. decem d.
S. Omni bihorio vascul. semis.

Rec. Cort. Chin. reg. rud. tus. *unc. semis*
Acid. sulf. dilut. *drachm. semis.*
Coq. c. s. q. aq. c. p. ½ h.
Col. unc. octo adde:
Syr. cort. Aurant. *unc. unam.*
M. D. S. Omni hora vasc. coff. semis.

In f. quartana, organis digestionis bene jam constitutis, chinacea jam concedentibus:

Rec. Cort. Chinae reg. rud. tus. *unc. duas*
Coque c. s. q. aq. comm. f. p. h.
Col. unc. decem adde:
Syr. cort. Aurant. *unc. unam.*
D. S. Omni hora vasculum semis.

Residuum ex decocto servetur pro futura decoctione, die altero.

Rec. Residuum hesternum Corticis cocti
Cort. Chin. reg. r. t. *drachm. tres*
Coq. c. s. q. aq. p. ½ h., ad libram unam
adde:
Syr. Cichor. c. Rheo *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Sed pulvere ejusdem Corticis, et postea sulfate Chin. opus adhuc erat.

Connubium cum sulf. Chin. et Alumine, in amphimerina gastrico-rheumatica, in nervosam versa:

Rec. Cort. Chin. reg. rud. tus *drachm. sex*
Acid. sulf. dilut. *drachm. semis*
Coque c. s. q. aq. c. f. p. $^1/_2$ h.
Col. unc. octo adde:
Sulfat. Chinin. *grana decem*
Alumin. crudi *drachm. semis*
Syr. cort. Aurant. *unc. unam.*
M. D. S. Omni hora vascul. coff. semis.

Decocto, extracti Trif. fibr. drachma, vel et tinctura Cinnamomi. subjungebatur.

Externe. Idem decoctum cum radice Ratanh. collutorium in scorbuto efficax praebuit; in connubio cum chlorate Calcis ad partes gangraenescentes adplicabatur.

Infusum, cum Absynthio in scrofula, generali statu jam optimo:

Rec. Cort. Chinae reg. r. tus. *drachm. tres*
Coq. c. s. q. aq. c. per $^1/_2$ hor. Sub fin. coct. inf.
Summitat. Absynth. *drachm. tres.*
St. in dig. ferv. per $^1/_4$ h. v. cl.
Col. unc. decem detur.
S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Pulvis ejusdem Corticis ad unciam semis, unam de die praescribebatur; postquam decoctum Chin. reg. effectu caruerat:

Rec. Pulv. cort. Chinae reg. alcoh. *unciam unam.*
Div. in dos. aeq. Nr. octo.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

Utplurimum sub hac formula pulveris unciae tres febribus anomalis quartanis irregularibus (praevia praeparatione cum Rheo, Taraxaco, Sale ammon.) opponebantur et truncandis non suffecerunt, ad methodum vero *Tortianam* confugiendum erat, quae sequens est:

Rec. Pulv. alcohol. cort. Chin. reg. *drachm. duas.*
Div. in dos. aeq. duas.
S. Sumat pulverem unum sub primis pandiculationibus, imminente paroxysmo, et post $^1/_4$ hor. pulverem alterum, praevia maceratione in aqua.

Proximus inde paroxysmus quidem fugatus, sed alii nonnunquam redierunt, quibus fugandis nec Cortex Peruvian. ante paroxysmum porrectus par evadere poterat. In uno casu quartanae simplicis, praevia praeparatione per dec. Taraxac. c. sale

ammon., et sexto ita transacto die, instantem proxime febris accessum methodo *Tortii* praevenire eum in modum licuit, ut altera pulvisculi Chinae dosis hora ante paroxysmum, altera sub ipsis primis prodromis exhibita, accessus ille mitigatus fuerit, et administratione repetita, qui inde sequi debebat accessus, penitus emanserit. Intermediis vero et posteris diebus continuatum est in decocto Tarax. c. Sale ammoniaco.

Pulvis cort. Chin. reg. electuaria ingrediebatur ex praeparatis aliis chinaceis.

Cortex Peruvianus, s. China fusca.

Interne. Decoctum cum florib. Sal. ammon. mart., in arthrorheumatis in chronicum decursum vergentis c. dyscrasia lymphatica cura finali; dyscrasia enim lymphatica et rheumatica pro parte, quantum licuit corrigebatur. Idem dec. cum sulfate Ferri convalescentiam ex ephidrosi chronica cum adenophymate colli firmavit. En, formulam cum Acido nitrico diluto, in pemphigo scorbutico:

Rec. Cort. Peruv. rud. tus. *drachm. sex*
Coq. c. s. q. aq. p. ½ h.
Col. unc. decem adde:
Acidi nitrici dilut. *scrupulos duos*
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

Itidem et in eodem casu decoctum cum elixir acido Halleri ordinabatur.

Extractum Cort. Peruv. in pilularum formam redigebatur cum extr. Quass.; cum hoc et extr. malat. Ferri; cum sulfate Ferri et pulv. Squillae; cum pulv. ejusdem Cort. et sulfate Chinin.; cum hoc et Opio; cum extr. Absynthii. Lubet adducere formulas praecipuas.

In tabe mesenterica, sub finem quasi medicationis:

Rec. Extr. Cort. Peruv. *scrupulum unum*
— Trifol. fibr.
Sapon. medic. *āā drachm. semis*
Extr. Cicutae *grana octo*
Pulv. Liquirit. q. s. ad pilul. XXX.
Consperg. eod. pulv.
D. S. Omni tertia hora pilulae quinque sumendae.

Febris quartana irregularis superveniente splenemphraxi, quam pulveri Chin. reg. ad mentem *Tortii* adhibito, nec sulfati Chin. c. extr. cort. Peruv. non cessisse supra diximus, nec sequenti obedivit electuario:

Rec. Muriatis Ammon. *drachm. semis*
Extr. Cort. Peruv. *scrupul. quatuor*
Pulv. cort. Chin. reg. *drachm. unam*
Roob Sambuci q. s. ut f. electuarium.
D. S. Epicratice sumendum intra diem.

In febre erratica:

Rec. Extr. cort. Peruvian. *drachm. semis*
Pulv. Arcani dupl. *drachm. unam*
— sulfat. Chinin. *grana octo*
Roob Sambuci *drachm. tres.*
M. f. l. a. electuarium.
D. S. Omni bihorio cochl. coff. duo.

Pulveris cort. Peruv. q. s. ad pilulas chinaceas conficiendas recipiebatur.

Tinctura Chinae fuscae composita,

s. Elixir roborans *Whyttii.*

In melanchlorosi anaemorrhoide:

Rec. Summitat. Absynth. *drachm. tres*
Inf. s. q. aq. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Elixir roborant. *Whyttii drachm. tres*
Syr. cort. Aurant. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio cochl. cib. tria.

Sulfas Chininae.

Pro usu interno, forma pilularis communissima erat, et quidem praescriptio simplicissima illa, cum extr. Taraxaci. Quartana cum pleurodynia rheumatica, abolita affectione gastrica et rheumatica, sulfatis Chin. granis 90 sensim consumtis disparuit septimestris. Quartana c. cephalalgia continua, praemissis tonico-purgantibus, et sub eorum usu frigore jam restricto, cum duodecim Chinin. sulf. granis fugabatur. Sic paucis jam granis quartanae aliae, modo simplices, duplices modo, et triplices obediebant, abacta insimul residua nota verminosa. Idem valet

de tertiana, fuerit gastrica, aut cum helminthiasi, aut duplex; minus de tertiana irregulari, duplici anomala cum complicationibus; minus in quotidiana incompleta, aut pertinacissima in gravidis, ubi Chin. sulf. nil aliud effecit, quam quod frigus et sudorem abigeret, caloris stadio relicto et tussi sicca. Simplex vero rheumatica quotidiana, praeviis Lichenina et methodo *Tortiana* votis omnino melius respondebat. Votis respondebat idem praeparatum in duplici aestiva c. nota biliosa, hac antea derelicta; in amphimerina catarrheumatico-gastrica, in synocha legitima in intermittentem tertianam abeunte; in residua intermittentium morem manifestante ex febribus irritativis, inflammatoriis, ex rheumate, catarrho, gastro-enteritide; ad praecavendum paroxysmum, qui jam siluit, scopo prophylactico; in intermitt. duplici, febre puriore facta; ad firmandam curam, chinaceorum ope febre jam fracta.

Rec. Sulfat. Chinin. *grana octo*
Extr. Taraxaci q. s. ut f. pil. sex.
Consperg. pulv. Cinnamom.
D. S. Omni bihorio pil. una.

Rec. Sulfat. Chinin. *grana duodecim*
Extr. Trifolii fibrin. *scrup. unum*
Pulv. Calami aromat. q. s. ut f. pil. xij.
Consperg. eodem pulvere.
D. S. Omni bihorio pilula una.

Dosis saepe aucta fuit ad grana XX, vel et pilularum omni hora una, vel et duae omni bihorio sumebantur.

Simili modo praescribebantur pilulae cum extr. Gentian., Absynth., Valerian., Corticis ipsius. Pro singuli casus necessitate adjungebantur massae pilulari flores Sal. ammon. martiales, in tertiana duplici anomala cum hepatemphraxi; Ferrum limatum cum Felle Tauri et extr. Cort. Peruv., in tertiana erratica; Ferrum malicum, in quartana cum hypertrophia lienis insigni, imminuto vero per curam adaequatam tumore (inde non saltem febris illico decessit, sed et ingens illa lienis hypertrophia prompte et penitus soluta est); sulfas Ferri, quando praecipue hypertrophia lienis a febribus intermittentibus orta est; Opii extractum aquosum, in quotidiana incompleta cum asthmate atque dysuria spastico-catarrhalibus (cum fere plenaria aegri in salutem re-

stitutione); extractum Belladonnae, in bronchitide sub-convulsiva cum erythemate rheumatico in scrofulosa amaenorrhoica, ad symptomata quoque mitiganda:

Rec. Sulf. Chinin. *grana duodecim*
Extr. Belladonn. *grana tria*
— Trifol. fibr. *scrup. unum*
Pulv. Liquirit. q. s. ut forment. pil. xviij.
Consperg. eod. pulvere.
D. S. Omni bihorio pilulae duae, usque ad febris ingressum.

Sed febre quidem regrediente, mitigationem symptomatum quamdam nonnisi conciliabant boli:

Rec. Extr. Cort. Peruv. *drachm. duas*
Sulfat. Chinin. *grana octo*
Pulv. cort. Peruviani q. s. ad bolos Nr. decem.
D. S. Sumat quatuor vesperi, reliquos sequenti die, tempore apyrexiae.

Electuarium, in febri erratica cum nota gastrica:

Rec. Extr. Tarax. liquid. *drachm. tres*
Arcani dupl. *drachm. duas*
Sulfat. Chinin. *grana sex*
Pulv. fl. Chamomill. q. s. ut f. electuarium.
D. S. Omni hora vascul. coff. semis tempore apyrexiae.

In quartana irregulari, superveniente splenemphraxi, post usum frustraneum Chinae ad mentem *Tortii* sumtae:

Rec. Extr. Cort. Peruv. *scrupul. quatuor*
Sulfat. Chinin. *scrupul. unum*
Pulv. Chin. reg. q. s. ut f. electuarium.
D. S. Omni bihorio cochl. coff. unum.

Postea ordinabatur electuarium ex muriate Ammon. et Chininae; sed febris nonnisi fugabatur ope sequentis:

Rec. Sulfat. Chinin. *grana quatuordecim*
Extr. Cort. Peruv. *drachm. semis*
Pulv. ejusd. Cortic. q. s. ad electuarium.
D. S. Uti supra.

Solutio, in Acido sulfurico diluto, secundum recentiores, praeeunte *Confani* admodum arrisit in intermittentibus; ad praecavendas recidivas, in febribus praecipue tertianis biliosis:

Rec. Sulfat. Chinin. *grana quatuor*
solve in:
Acidi sulfur. diluti *guttis octo*,
adde;

Aq. font. dest. *unc. quatuor*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Omni hora cochl. cib. unum.

Vel pro syrupo simpl. addebatur unc. semis syr. Cichor. c. Rheo.

Eadem solutio sulfatis Chinin. et sulfatis Ferri, in quotidiana intermittente cum incipiente pellagra, febre per sulfatem Chininae abacta, iterum vero comparente:

Rec. Sulfat. Chinin.
— Ferri *āā grana quatuor*
solve in:
Acidi sulf. dilut. *guttis sexdecim*
adde:
Aq. commun. dest. *unc. quatuor*
Syr. simpl. *unc. semis.*
M. D. S. Omni hora cochl. cib. unum.

Febris vero rebellis exposcebat *āā* grana sex sulfat. Chinin. et Ferri, postea sulfatem Chinin. cum massa pilularum *Valleti* (martialium).

Eadem solutio, ope micae panis in pilulas redacta, ordinabatur quoque in tabe dorsuali incipiente c. fiente epilepsia:

Rec. Sulfat. Chinin. *grana octo*
Acidi sulfur. dilut. *gutt. sexdecim*
Micae panis albi *scrupul. unum.*
M. f. pilul. Nr. octo.
Consperg. pulvere Liquirit.
S. Omni bihorio pil. una.

Quid de sulfatis Chininae interno usu in febri lenta cum adfectione topica inflammatoria dicendum? Illum a recentioribus quibusdam in ejusmodi casibus admodum laudatum, nocere potius quam juvare, exemplum adducere volo. Agebatur enim de bronchitide suspecta, ob tubercula cum febre lenta et nota verminosa. Quum febris fere intermitteret, tussis esset mitissima, respiratio facilis ac libera, ad sulfatem Chininae confugiebatur, potius experimenti gratia, quam juvaminis. Quid inde sequebatur? Cephalea gravior solita, aurium tinnitus, leipothymia, ardor in faucibus, anorexia, polydipsia, nausea, vomitus, etc.

Audiamus, quid in alio casu Chininae sulfas efficere potuerit. Agitur de pneumo-laryngo-phthisi tuberculari in stadio

secundo versante. Morbus sensim sensimque ulteriores progressus fecerat, ut prae aliis testimonium dabat adaucta aegri emaciatio cum stethoscopicis pectoris signis. Verum est, febrem sulfate Chininae tractatam per dies aliquot fere omnem siluisse, pristinam vero deinde magnitudinem recepisse, quod mirum non erat, perstante in pulmonibus, ex qua procedebat, causa. Non credendum ergo, hanc febris imminutionem, morbi imminutionem fecisse; suppressa enim fuit, uti supprimuntur dolores, tussis, diarrhoea, sudor opiatis, quin tollatur morbus, a quo repetunt fontem. Patet tamen ex iis necessitas certis sub rerum adjunctis etiam in ipsam febrim, pneumophthiseos sequelam, therapiam instituendi symptomaticam, qualem quoque in alia symptomata urgentia instituimus; cavendum tamen, ne nimia sulfati Chininae fides habeatur, veluti medici quidam moderni solent, existimando, illius ope pneumophthiseos sanationem se obtinere posse, quod non fiet. Quin imo sicuti cauta manu palliativa pharmaca porrigenda sunt, ita quoque sulfas Chininae, ne aliqua fors fallaci opinione de hujusce remedii vi ducti, dum morbum sanare credimus, lethalem potius ipsius exitum acceleremus.

Sulfas Chininae *methodo endermatica* quoque applicitus fuit. Fuit tertiana duplex cum epigastralgia et oligaemia. Non ferebatur nec extr. Cort. Peruv., nec sulfas, nec citras Chinin., sed dolores atroces et vomitus excitabantur. Quapropter loco cutis in scrobiculo cordis epidermide per vesicans spoliato sulfuricus Chinae sal vehiculo suspensus fluido adplicabatur; nihilominus et epigastrii dolor et hyperemesis exasperari pergebant, quare pro endermico tractamine aptior locus in brachiis seligebatur, feliciore coronatus eventu.

In eodem casu, idem sal forma unguenti, cui extractum Hyoscyami tantillum addebatur, adplicabatur, cum brachia sauciata dolerent, et paroxysmi novitus evigilantes prolongarentur.

Citras Chininae.

In eodem casu, quem penes dereliquimus, hic sal Opio nuptus nil laudabilis effecit; imo potius exasperabatur febris, veluti accidit in quotidiana incompleta cum hepato-splenemphraxi, postquam intra dies sex, 74 grana citratis partim, partim sulfatis Chin. cum aliquot Opii granis absumpta fuerant. Efficax

vero magis fuit in hepatitide peritonaea cum rh umate diffuso et helminthiasi, succedente febre intermittente, primo quintana larvata gastralgico-cataleptica, dein tertiana duplici genuina. Ex Opio, dein ex hoc cum citrate Chininae porrecto sudor comparuit criticus et cum hoc apyrexia octo dierum intravit; septimo tamen peracto recidivae istius paroxysmo, citras Chininae cum Opio subministratus et per hebdomadam continuatus convalescentiam firmavit.

Rec. Citrat. Chinin. *grana duodecim*
Opii puri *grana duo*
Pulv. rad. Ipecacuanh. *granum unum*
Sacch. alb. *drachm. un.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. sex.
D. S. Omni bihorio pulv. unus.

Murias Chininae.

Forma electuarii, unacum muriate Ammoniae, in qu rtana irregulari superveniente splenemphraxi, postquam omnia incassum tentata fuerant remedia chinacea, de quibus sermo fuit:

Rec. Muriat. Ammon. *drachm. semis*
— Chinin. *grana sex*
Extr. Cort. Peruv. q. s. ut f. electuarium consistentiae spissioris.
D. S. Epicratice ad cochlearia coffeana.

Murias Ammoniae et Chininae solutus in Acido hydrochl. dil., in f. intermittente anomala cum hepato-splenemphraxi, post usum decocti Tarax. c. Sale ammon. Sed post febris absentiam, quae inde sequuta, continuabatur in dicto medicamine, jam propter imperfectam infarctus resolutionem.

In ascite et anasarca, quum post punctionem urinarum quantitas non augeretur, ordinabantur hydrochloratis Ferri ammon. et hydrochlorat. Chinin. $\bar{a}\bar{a}$ grana 4, cum extr. Aloës aq., et extr. Trifol. fibr. et Squilla. Post haec et alia adhuc adjuvantia externa salus restituta fuit.

In febri tertiana cum diarrhoea biliosa et splenemphraxi, postquam omnia vergerent in melius ope sulfat. Chinin. c. extr. Cort. Peruv.:

Rec. Hydrochlorat. Chinin.
— Ferri ammon. *āā grana sex*
solve in:
Acidi hydrochlorici diluti *guttis viginti quatuor*
adde:
Aq. destill. commun. *unc. quatuor*
Syr. cort. Aurant. *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Cichoreum.

Usum eundem admittit, ac Taraxacum, licet rarius praescriberetur, cui saepe jungebatur, addito sale quodam cathartico aut solvente. Decoctum, in atonia gastrica:

Rec. Rad. Cichorei *unc. duas*
Consc. coq. c. s. q. aq. p. ½ h.
Col. ftr. expr. librae unius adde:
Extr. Trif. fibr. *drachm. semis.*
D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Simili modo et scopo praescribebatur cum extr. Absynth., Centaur. min., etc. Unacum Dulcamara, in rheumate chronico:

Rec. Rad. Cichor. *unc. unam*
Caul. Dulcam. *unc. semis.*
Consc. coque c. s. q. aq. c. p. ½ h.
Col. ftr. expr. librae unius detur.
S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Taliter cum rad. Ononid. spinos., hb. Centaur. min., et aliis amaris.

Extr. Cichorei forma pilularum, in aphthis:

Rec. Extr. Cichor. *drachm. unam*
Sulf. aurat. Antimon. *grana sex*
Pulv. Rhei chinens. *drachm. semis.*
M. f. pilul. pond. gran. trium.
Consp. pulvere rad. Iridis florent.
D. S. Omni bihorio pilula una.

Syrupus Cichorei cum Rheo frequenter addebatur decoctis, infusis purgantibus, etc.

Cicuta vulgaris,

s. Conium maculatum.

Herba, in infuso c. furf. Tritici externe, in herpete papuloso, exanthemate vero per curam adaequatam jam pallescente, penes usum aquarum Rainerianarum:

Rec. Furfur. Tritici *libr. duas*
Herb. Cicut. *unc. unam*
Aq. fervid. *libr. quatuor.*
Steut per ¼ hor., deinde exhibe pro balneo.

Pulvis herbae cataplasmatis forma, in orchitide traumatica. Post hirudines, ad regionem adfectam cataplasmata humido-calida ex semin. Lini et pulv. hb. Cicutae, ad relaxandam partem, adfectionem solvendam et avertendam tali modo indurationem:

Rec. Farin. sem. Lini *unc. duas*
Pulv. hb. Cicutae *unc. semis.*
Misce exacte, coque ad consistent. pultis, extende supra linteum.
S. Adplicetur tepidum parti omni dimidia hora, de die.

Ne vero somnus turbaretur, suspendebantur de nocte cataplasmata, et adplicabatur sequens:

Rec. Spermatis Ceti *unc. quatuor*
Pulv. hb. Cicutae *drachm. duas*
Axung. suill. *unc. semis.*
M. exacte, supra leuem ignem agitando continuo; extende supra linteum.
S. Adplicetur de nocte, et emplastro adhaesivo figatur.

Sed postea recurrebatur adhuc ad ung. Hydrarg. c. extr. Conii macul. Modo supra citatum cataplasma hypochondriis apponebatur sensibilibus summopere, in hepato-splenemphraxi, postquam multa alia tentata fuerant.

Extractum, forma pilularum, c. extracto Taraxaci, in ictero irritativo:

Rec. Extr. Conii maculat. *grana quindecim*
— Taraxaci *scrupul. unum.*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil. XX.
Consp. pulv. eodem.
S. Omni bihorio pulv. unus.

Eadem formula aut c. Sapone, et extr. Trifol. fibr., in febri intermittente cum hepatemphraxi, cum signatura autem »quatuor pilulas ante febris paroxysmum, et quatuor postea,« ascendendo

ad grana 7, 8 — 9 extracti Conii mac., et addendo gummires. Asae foetid., Ammoniaci, etc. Itidem ob stases hepatis capillares, cum Calomele, et Belladonna ordinabantur pilulae. Per easdem pilulas cum Calomele sensibilitas et residua inflammatio, multum imminuebantur in oophoritide lenta:

Rec. Calomel. laevig. *grana sex*
Extr. Conii maculat. *grana quatuor*
— Taraxaci *scrupul. unum.*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil. duodecim.
Consperg. pulv. eodem.
D. S. Omni bihorio pilula una (pil. duae).

Cum sulfure aurat. Antimon., in hepatitide phlegmonosa penes externam applicationem Cicutae:

Rec. Sulf. aur. Antimon.
Extr. Conii macul. *āā grana octo*
— Liquirit. *scrupul. unum*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil. duodecim.
Consp. pulv. eodem.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Cum Aethiope antimoniali, in orchitide traumatica, quum dolores obtusi in regione funiculi multum vexarent:

Rec. Aethiop. antimon. *grana decem*
Extr. Conii macul. *grana quinque*
— Taraxaci *scrupul. unum*
Pulv. Liquirit. q. s. ad pil. XII.
Consperg. eodem pulv.
S. Omni bihorio pilulae duae.

Cum extracto Myrrh., in oophoritide lenta cum hysteriasi, e genitalibus fluere continuante humore tenace:

Rec. Extr. Conii macul. *grana octo*
— Myrrh. aq. *scrupul. unum*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil. decem.
Consperg. eod. pulv.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Cum Aethiope min., in ichthyosi squamosa; magna cutis tensione, sub finali morbi regressu:

Rec. Aethiop. miner. *grana quindecim*
Extr. Conii macul. *grana duodecim.*
— Liquir. q. s.
M. f. pil. xij.
Consperg. pulv. Liquirit.
D. S, Omni bihorio pilulae duae.

Sic occurrebat connubium cum Castoreo et fl. Zinci; cum Cortice Peruv., in tabe mesenterica; cum Kali hydriodico, in metro- oophoritide lenta:

Rec. Extr. Conii maculati *grana decem* (sensim 12, 14, etc.)
Kali hydriodici *grana duo* (sensim 3, 4, 6, etc.)
Pulv. et extr. Liquirit. q. s. ut f. pil. Nr. decem (12, etc.)
Consperg. pulv. Liquir.
S. Omni bihorio pilula una, tempore afebrili.

Solutio, in hepato-emphraxi cum febri intermittente:

Rec. Decocti rad. Gramin. (v. Taraxaci) ex *unc. duabus* parati *unc. decem*
Extr. Conii macul. *gran. octo*
Salis ammoniac. depur. *drachm. semis*
Succi Liquirit. dep. *drachm. duas.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Extr. Conii macul. *methodo endermatica* adplicabatur forma linimenti, in spondylo-peritonitide chronica traumatica, antemissis antiphlogisticis, quum observatum fuisset, adesse adfectionem nervosam, i. e. hystericam:

Rec. Extr. Conii maculat. *grana viginti quinque*
Mucilag. gummi arab. *drachm. tres.*
Mixta exhibe.
S. Adplicetur mediante lino carpto supra plagam vesicantis posito, bis de die.

Sic prosperrimo cum eventu tali methodo endermica, in hepato-splenemphraxi symphoretica ex febre intermittente; et per eminentiam in casubus oophoritidis lentae, chronicae applicabatur extractum Conii cum Kali hydriodico, semper vero praemissis nonnisi antiphlogisticis, et profligatis fractisque symptomatibus febrilibus ac inflammatoriis, quae sustinebant organorum hypertrophiam.

Extractum forma quoque unguenti, utplurimum cum unguento Hydrargyri ciner. endermatico more vasis obsorbentibus tradebatur, in nephro-urocystophthisi cum indurationibus colli uteri superveniente pneumo- et gastro-enterophthisi in individuo scrofuloso-pellagroso; postquam tot et tanta, et unguentum ipsum mercuriale cum Cicuta incassum experiebatur medens. Supra pubem autem vesicans emplastrum ponebatur. Haec praxis locum habuit in oophoritide chronica, vesicante vero inguini

sinistro imposito; non minus in gastro-scleromate ad cardiam versante in primo stadio. Post usum Magisterii Bismuthi vesicans emplastrum ad scrobem cordis ponebatur, ex quo relictae plagae diebus subsequis unguentum ex drachm. una Conii macul., et drachmis tribus adipis suillis paratum adplicabatur; quamquam lente, tamen bene res procedebant, melius adhuc et optime, quum plagae vesicatae adspergeretur Magisterium Bismuthi unacum pulvere Conii maculati.

Extractum in linimento, quod in splenemphraxi minuebat dolorem et tumorem; ad vincendam lienis hypertrophiam multum contribuit:

Rec. Extr. Conii maculat. *drachm. unam*
Olei cocti Hyoscyami
Linimeut. saponato-comphorat. *āā drachm. tres.*
M. f. linimentum.
S. Inungenda regio lienis.

Rheumatismum inflammatorium fixum emendavit:

Rec. Ung. Hydrarg. ciner. *drachm. tres*
Olei cocti Hyoscyami *unc. unam*
Extr. Conii macul. *drachm. semis.*
M. f. linimentum.
D. S. Regio dolens bis de die inungenda magnitudine nucis avellan., deindeque c. stupa cannabina involvenda.

Forma unguenti, in quartana irregulari superveniente splenemphraxi:

Rec. Unguent. neapol. *drachm. unam*
Extr. Cicutae *drachm. semis*
Axung. porci *unc. unam.*
M. exact. f. unguent.
D. S. Inungendum hypochondrium sinistrum, mane et vesperi magnitudine nucis avellanae.

In orchitide traumatica, epididymide cum teste quidquam acuminata:

Rec. Ung. Hydrarg. ciner. *drachm. duas*
Extr. Conii macul. *drachm. semis*
Axung. porci *drachm. unam et semis.*
M. exact. f. ung.
D. S. Inungatur scrotum bis in die magnitudine fabae.

Inde sanus aeger exivit. In hepatitide phlegmonosa recipiebatur scrupulus unus extr. Conii, pro drachm. semis ung. nea-

pol. et drachmis duabus adipis. Perstans vero exinde durities quaedam sub attactu, indolens, auferebatur ope:

Rec. Linimenti saponato-camphorat. *unc. unam*
Ung. Hydrarg. ciner. *drachm. tres*
Extr. Conii maculat. *drachm. unam.*
M. exact. f. unguentum.
D. S. Inungenda regio hypochondriaca.

Emplastrum Cicutae unacum empl. Mercurii, in rheumatismo articulari afebrili genu dextri in transudationem tendente, post usum pulverum ex sulf. aur. Antimon. et Calomele; in rheumatismo articulari, quum post linimenta ex oleo Hyosc. cum linim. sapon.-camphor., et ex unguento neapol. c. oleo Hyosc., tumor jam redderetur mollis et pastaceus (tumor inde per absorptionem evanuit); in tumoribus glandularum, scrofulosis; in orchitide ex parotitide.

Rec. Emplastr. mercur.
— de Cicuta *āā unc. semis.*
Malax. invicem ad ignem, in massam uniformem; extendatur supra pannum lineum ad flammam candelae calefactum.
S. Adplicetur magnitudine nummi imperialis (vel secundum extensionem partis adfectae), ad tumorem.

Quantitas ingredientium variat pro magnitudine partis adfectae; et emplastrum quamplurimum noctis tempore adplicabatur substituendum unguentis aut cataplasmatibus emollientibus de die impositis.

Idem emplastrum quoque ex partibus anaticis, unacum empl. adhaesivo, opponebatur hepatitidi phlegmonosae; et unacum emplastro de Galbano crocato, in hepato-splenemphraxi, et orchitide blennorrhoica.

Cicuta virosa.

Externe in usum tracta fuit; et quidem pulvis, forma cataplasmatis, in hepatemphraxi:

Rec. Farin. semin. Lini *libr. quatuor*
Pulv. hb. Cicutae viros. *unc. duas*
Sal. ammon. depur. *unc. semis.*
Coq. c. s. q. aq. ad consistent. cataplasmatis.
D. S. Adplicandum hypochondrio dextro.

Huicce cataplasmati addi quoque solebat uncia fl. Chamomillae. Infusum pro injectione, in blennorrhagia genito-vesicali:

Rec. Hb. Cicut. viros.
— Malvae off. *āā unc. duas*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. $^1/_4$ h. v. cl.
Col. unc. octo refrig. adde:
Aq. destill. Lauroceras. *unc. semis*
— Calcis *unc. unam.*
M. D. S. Pro injectione in vaginam et vesicam.

Cinnamomum.

Pulvis adhibebatur in pulveribus, et ad pilulas conspergendas; e. gr. cum extr. Quassiae in verminosa, cum menosymphoresi incipiente, ac si pro coronide curae; in metro-oophoritide lenta cum residuis bronchitidis convulsivae in individuo scrofuloso amenorrhoico, itidem sub finem medelae:

Rec. Extr. Quassiae *drachm. semis*
Pulv. Cinnamomi q. s. ut f. pil. Nr. XV.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Aqua destill. Cinnam. in diversis mixturis; e. g. in pemphigo scorbutico, ut gratior esset sapor olei Ricini:

Rec. Olei sem. Ricini rec. press. *unc. duas et semis*
Pulv. g. arab. q. s. ad perfectam subactionem
Syr. simplicis unc. duas
Bene subactis sensim sensimque affunde:
Aq. commun. *unc. quatuor*
— destill. Cinnamom. simpl. *drachm. duas*
M. D. S. Quatuor vicibus sumatur intra 3 horas.

In metroperitonitide puerperali, pro cura vitali:

Rec. Aq. dest. Menth. piper.
— — Cinnamomi simpl. *āā unc. duas*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Ad cochlearia cib. omni $^1/_2$ hora.

In chlorosi:

Rec. Aq. destill. Cinnam. simpl. *unc. quatuor*
Tinct. malatis Ferri *scrupul. unum*
Syr. Kermes *unc. semis.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Huic mixturae tardius addebantur quoque extr. Aloës grana duodecim.

Citrus.

Succus Citri expressus aqua et debita quantitate Sacchari commixtus ad unc. semis, vel unam exhibebatur; occurrebat etiam in decoctis Hordei, Graminis, Salep, etc., infusis fl. Tiliae, Verbasci, sem. Santonici, etc. In potu Riverii loco Acidi tartrici praescribebatur. Communissimus potus febricitantium, praesertim aestatis tempore, sistebat potus aquos. succo Citri et Saccharo conditus (aqua limonea, s. limonata), tum simplex, tum tartarica.

In febre typhoidea enterica et pneumonica:

Rec. Aq. font. *libr. tres*
Succi Citri *unc. unam*
Acidi sulfur. dilut. *drachm. semis*
Sacch. alb. *unc. unam et semis.*
M. D. S. Potus.

In hydrope:

Rec. Limoneae tenuis *libr. tres*
Cremor. Tartari *drachm. tres*
Oxymell. squillit. *unc. duas.*
M. D. S. Potus.

Aut vero:

Rec. Decocti Hordei ex *unc. duabus* parati| *libr. duas*
Succi Citri *unc. unam*
Cremor. Tartari
Roob Sambuci *āā unc. semis*
M. D. S. Potus.

In ictero febrili; cum decocto Graminis. Vide *Soda bicarbonica.* Vide *Tartarus emeticus.*

Colchicum.

Extractum Colchici, in hydrope universali ex cardiectasi hypertrophica, e rheumatismo et endocarditide, persistente illo, hac recrudescente:

Rec Aq. font. commun.
Oxymellis squill. *āā unc. duas*
Extr. Colchici autumnal. *grana quatuor*
Roob Juniper. *unc. unam.*
M. D. S. Sumat omni bihorio cochl. duo.

Tinctura, ex infuso Tiliae ad guttas X — XV — XX — XXX, in catarrheumate thoracis febrili, quum adesset sudor, catarrhus minor, sed dolores vagantes huc et illuc; dolores inde imminuti sed aliis in locis adparuere, quare sulfur aur. Antimon. c. Colchico ordinabatur et prospero cum effectu. Rheumatismus capitis et colli cum congestione febrili, febre vero jam evanida, doloribus ad genua insistentibus, imminutis in capite sub sudore, non cessit:

Rec. Inf. Tiliae ex *drachm. duabus* parati *unc. octo*
Tincturae Colchici autumnal. *gutt. viginti*
Syrup. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

In syphilide cum rheumatismo et prurigine suffecerunt guttae viginti, addito quoque roob Sambuci.

Ex decocto Ononidis spinosae, in hydrope:

Rec. Rad. Ononid. spinos. *unc. duas*
Coque c. s. q. aq. comm. p. $\frac{1}{4}$ h. v. cl.
Col. librae unius adde:
Tincturae Colchici autumnal. *scrupul. semis*
Roob Juniperi *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Vinum Colchici ad grana **15**-drachm. un. pro die, in Aq. dest. fl. Tiliae ordinabatur in lichene diffuso in individuo hysterico arthritico, pluries autem in arthrorheumate, et quidem optatissimo cum successu:

Rec. Aq. dest. flor. Tiliae *unc. sex*
Vin. semin. Colchici *drachm. unam*
Syr. simpl. *unc. semis.*
M. S. Omni bihorio coch. 2.

C o l o m b o.

Decoctum rad. Colombo, adfirmavit convalescentiam ex dysenteria rheumatico-gastrica. Praescribebatur quoque prospero cum effectu in f. tertiana c. diarrhoea biliosa et splenemphraxi, omnibus vero symptomatibus in melius vergentibus, silente febre, alvo nonnisi ter mota intra diem, pro cura ergo confirmatoria erga laxitatem.

Rec. Rad. Colombo *drachm. duas*
Coq. c. s. q. aq. c. p. ¼ h.
Col. unc. octo adde:
Hydrochlorat. Ferri et Ammon. *grana duodecim*
Syr. cort. Aurant. *unc. semis.*
D. S. Omni hora vasc. coff. semis.

Rec. Dec. rad. Colombo ex *drachm. duabus* parati *unc. decem*
Hydrochlorat. Chinin. *grana sex*
— Ferri et Ammoniae *grana duodecim*
soluta in:
Acidi hydrochlorici diluti *guttis viginti quatuor*
Syr. cort. Aurant. *unc. unam.*
D. S. ut supra.

Corallina corsicana.

(s. Fucus Helminthochorton)

In synochis gastricis verminosis Corallina corsicana Italorum medicorum plurimis dilecta, tamquam e diversis et inaequali modo agentibus marinis algis contexta, haud adeo activa tutaque deprehendebatur. Exhibebatur decoctum, vel infusum e drachma una vel tribus, utplurimum cum sale quodam cathartico; vel electuarium in connubio cum aliis substantiis vermes pellentibus. Reliqua vide sub articulo *Sphaerococcus.* Sequens haec formula indicata fuit duplici, imo triplici scopo, in f. verminosa, accedente pneumophthisi tuberculari cum tabe mesenterica:

Rec. Corallinae corsicanae *drachm. unam*
Coq. c. s. q. aq. c. p. ¼ h.
Col. unc. decem adde:
Syr. Cichor. c. Rheo *unc. unam.*
D. S. Omni dimidia hora vasc. coff. semis.

Rec. Fuci Helminthochort. *drachm. semis*
Inf. s. q. aq. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Arcani duplicati *drachm. duas*
Syr. simpl. *unc. duas.*
D. S. Omni hora vascul. coff. semis.

Rec. Pulv. Fuci Helminthochort.
— rad. Valerian. *āā drachm. unam*
— — Jalapp. *drachm. semis*

Mell. despumat. q. s. ut f. electuarium molle.
D. ad fictile.
S. Omni hora cochl. coff. unum.

Utraque ultima haec formula in febri verminosa ad expellendos vermes in infantibus, quodam cum successu adhibita fuit.

Creosotum.

Interne, ad guttas duas, tres, decemve ex vehiculo quodam; in amenorrhoea cum scorbuto et fluore albo, post purgantia, amara, acida mineralia, Chinam, aquas Catull.:

Rec. Aq. commun. dest. *unc. quatuor*
Creosoti puriss. *grana sex*
Mucilag. gummi arab. *unc. semis*
Syr. cort. Aurant. *unc. unam.*
M. exactiss. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Imminuebatur dosis ad grana 4, 3, 2, sed serius iterum ad gr. 6, 8 aucta.

In blennorrhagia vesicali:

Rec. Amygdal. dulc. excort. *unc. unam*
F. l. a. emulsio c. aq. font. q. s. ad Col. unc. decem
adde:
Mucilag. g. arab. *unc. unam*
Creosoti purissimi *gutt. quatuor*
Sacch. alb. *unc. unam et semis.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Creosotum in nephrocysto-phthisi cum indurationibus colli uteri, superveniente gastro-entero-et pneumophthisi in subjecto scrofuloso-pellagroso, frustra tentabatur interne.

Externe, in scrofula inveterata:

Rec. Aquae Creosoti *unc. tres.*
S. Applicetur ope lini carpti ad ulcera.

In erysipelate gangraenoso, Creosotum externe adhibitum etsi non everterit gangraenam, moderavit tamen, et foetorem superavit:

Rec. Creosoti purissimi *drachm. semis*
Aquae destill. comm. *unc. decem.*
M. D. S. Fomententur saepius de die partes gangraena adfectae.

Crocus.

Interne. Pulvis, in subcontinua tertianaria cum congestione menstrua in puella amenorrhoica, sed non absque hirudinibus ad femora, et sinapi confectis pediluviis, menstrua molimina obsecundavit:

Rec. Croci oriental. *grana sex*
Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. f. p. div. in dos. aeq. Nr. sex.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

In eodem casu, ob cardialgiam (cardialgiae enim cum uteri affectione facile combinari possunt):

Rec. Magisterii Bismuthi
Croci orientalis *āā grana quatuor*
Sacch. alb. *drachm. semis.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. sex.
D. S. Omni bihorio pulv. unus.

In enteritide lenta cum f. intermittente quotidiana symptomatica et nota pellagrosa, abdomine jam expanso, tumente, dolente, et praesentibus maniae symptomatibus:

Rec. Pulv. Croci oriental. *grana tria*
— rad. Ipecacuanh. *scrupul. semis*
Sacch. alb. *scrupul. duos.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. sex.
D. S. Omni bihorio pulv. un.

Dosis Croci augebatur ad grana quatuor, et sensim ad quatuordecim usque; delirio inde imminuto, borborygmis, torminibus perstantibus, alvo bis deposita liquida:

Rec. Extr. Quassiae *scrupul. unum*
Croci oriental. *grana sex*
Pulv. rad. Rhei q. s. ad pilulas formandas decem.
Consperg. pulv. Liquirit.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Rec. Sulfat. Ferri
Croci oriental. *āā grana octo*
Extr. Quass. *scrupul. unum.*
F. l. a. c. pulv. Liquirit. pilulae duodecim.
D. S. Uti supra.

Rec. Sulfat. Ferri
Croci oriental.
Extr. Aloës *āā grana decem*
— Quass. *grana sexdecim*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pilulae XVI.
Consperg. eodem pulvere.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Hisce omnibus sumtis salus restituta fuit.

Extractum Croci, in pilulis, Choream S. Viti, menstruo fluxu restituto, sanavit; salutiferum quoque fuit in chlorosi secundaria:

Rec. Extr. Croci *scrupul. semis*
— Taraxaci *drachm. unam.*
Pulv. rad. Liquirit. q. s. ut f. pilulae pond. granor. duorum.
Consperg. eod. pulvere.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Externe. Decoctum, pro cataplasmate in pseuderysipelate cruris critico. Affectio jam erat minor, phlyctaenas tamen relinquens, ex quibus ruptis exulcerationes fieri et propagari cernebantur. Neque cutis hujus loci sana, utpote quae ab anni elapsi priori consimili affectione in tubera quaedam elata fuerat, postquam exitum sero dedisset haud mediocri. Utile tum deprehendebatur:

Rec. Farin. semin. Lini *libram semis*
Croci oriental. *scrupul. unum*
(Tardius addebatur Salis ammon. depurati uncia semis)
Coque c. s. q. aq. ad consistentiam pultis.
D. S. Externe, tepide adplicetur.

Croton Tiglium.

Oleum e granis Tiglii *pressum*, ad gutt. 1, 2 in pilulis, pulvere vel et mixtura oleosa in segnitie alvina rebelli rarius praescribebatur; sic in ascite diffuso et hepatemphraxi nullum effectum salutarem prodidit, incassum tentatis jam prius Aloë et Gummi-Guttae; itidem usus erat Crotonis Tiglii interpolatim cum alio remedio, in melanchlorosi amenorrhoide.

Rec. Olei Croton. Tiglii *gutt. duas*
Micae panis alb. *grana octo*
Amyli q. s. ut f. pilulae quatuor.
D. S. Mane et vesperi pilulae duae.

Externe. Scopo revellente ad promovendam eruptionem miliarem aut eczematicam; in pneumophthisi tuberculari, tabe mesenterica, arthrorheumate chronico, arthritide anomala:

Rec. Olei Croton. Tiglii *drachm. semis.*
D. sigillo munitum.
S. Pro tribus frictionibus intra diem.

Post primam unctionem rubor in cute comparuit, in quo, post secundam unctionem aucto, scabrities apparuit, ex qua post tertiam unctionem vesiculae formabantur grani papaveris, post quartam milii magnitudine; serius, si frictio continuabatur, majores, pustulosae, confluentes. Hinc inde et cicatrices relinquebantur. Adhibebantur hae frictiones praeprimis, ubi suspicio fientium tuberculorum recentium (tuberculoseos acutae ut ajunt) aderat. — Rarius adhibebatur formula composita sequens:

Rec. Olei Croton. Tiglii *scrupul. unum*
Tartari stibiati *scrupul. duos*
Axung. suill. *unc. semis.*
M. exactissime.
D. S. Pro repetitis frictionibus ad sternum.

Nunquam ab oleo Crotonis externe adhibito vomitus aut alvus ciebatur. Erat puella tuberculis glandularum bronchialium laborans, in qua plures unciae hujus olei cuti per duas hebdomadas illinitae ne minimam quidem vesiculam efficiebant. Cutis fere emortua erat.

Cucurbita.

Cucurbitularum in genere rarior erat usus. Epistaxis in febri nervosa increscentem virium prostrationem inducens cucurbitulis ad nucham positis, etc. cohibebatur. Cucurbitulae in hepatoperitonitide cum diaphragmitide ac pleuritide, et hepatonco saepius applicitae majorem quasi ac ipsis competeret, exercebant vim; et revera stupendum erat, quod mox ab illarum prima applicatione tumor planior et minor evaserit, atque oculis fere se eripuerit. Cucurbitulae ad epigastrium, post hirudines, admotae, imminuere dolorem. In adfectionibus spinae dorsi frequentius locum habuerunt.

Cuprum sulfuricum.

Agebatur de anevrysmate arcus aortae. Quum post sulfatem Chininae ob intermittentiam quamdam observatam, una alterave

vice accessus duobus aut tribus diebus tardius accederent, sulfati Ferri nubebatur Cupri sulfas; sed vix emendatus aeger finito anno clinico dimittebatur.

Cydonia vulgaris.

Tumor haemorrhoidalis ex ano egrediens et dolens liniebatur linimento ex mucilag. sem. Cydoniorum et olei Hyoscyami *āā* uncia una.

Digitalis purpurea.

Interne. Pulvis ad gr. 3, 6 — 12, in hydrope ascite, anasarca et hydrothorace.

Addebatur quoque Squilla, Nitrum, Ipecacuanha, sulfur a. Antimonii, Kermes mineralis, etc. Ordinabantur pulveres cum sulfure a. Antim., cum Ipecacuanha, in pneumo-bronchitide rheumatico-catarrhali, praesentibus cardiopalmo, carotidum pulsatione; cum sulfure a. Antim. et extracto Hyoscyami, in haemoptoë pulmonali activa succedente ob infarctum haemoptoicum, sive pneumonitide legitima, sive evoluta e tuberculis jam praesentibus pneumophthisi, praesertim florida, molestante praeprimis titillatione ad fauces, et quam maxime in variis cordis organicis affectionibus activis. In his plerumque Digitalis sola praescribebatur. Compositiones erant:

Rec. Pulv. Fol. Digital. purp.
Calomel. laevig. *āā grana tria*
Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. Nr. sex aeq.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

Rec. Pulv. fol. Digital. purp. *grana quatuor*
— rad. Ipecacuanh. *grana duo*
Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. sex.
D. S. Uti supra.

Rec. Sulf. aur. Antimon. *grana octo*
Extr. Hyoscyami
Pulv. fol. Digital. purpur. *āā grana sex*
Sacch. alb. *drachm. duas.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. sex.
D. S. Uti supra.

Infusum ex granis quindecim, usque drachmam semis, in plerisque morbis jam dictis.

Rec. Fol. Digital. purp. *grana quindecim*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

Cum Acido sulfurico diluto, vel cum aqua Laurocerasi, vel cum utroque remedio facilius tolerabatur Digitalis, atque diutius. Sic e. gr. in haemoptoë cum tuberculis fientibus, aut in cardiectasi hypertrophica:

Rec. Fol. Digital. purp. *grana sexdecim*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Acidi sulf. diluti *drachm. semis*
(cum vel sine Syrupo).
D. S. Omni bihorio vascul. coff. unum, vel cochl. cib. unum (quod metallicum non sit).

Idem valet de connubio cum Elixir acido Halleri; ita dabatur in metrorrhagia activa paraphlogistica, fracta jam phlogosi; cum Nitro puro, in hydrope scarlatinoso cum respiratione difficili; cum acetatis Lixivae solut. drachmis tribus, et Oxymell. squill. uncia una, in hydropericardio aut hydrothorace recenti; cum grano Tartari emet. et Oxymell. squill. uncia una, in eodem hoc casu, minante suffocatione, postquam vero fuerat praemissa venaesectio: talis misceläe sumebatur omni hora quarta pars. Exhibebatur quoque ex decocto Scolopendrii, aut Polygalae Senegae cum aqua Laurocerasi, etc. in pneumonia phthisica, etc. unacum infuso Sphaerococci confervoidis, in tracheo-bronchopneumonitide lenta tuberculari.

Externe. Pulvis in unguentum redactus methodo endermatica applicitus, in hydrothorace aut hydropericardio incipiente, quum etiam adesset hepatosplenemphraxis, sed et hypochondria valde sensibilia:

Rec. Pulv. fol. Digital. purp. *drachm. unam*
Unguenti Hydrargyri ciner. *drachm. duas*
Adipis porcin. rec. *drachm. tres*

M. exactissime, f. unguentum.
D. S. Mediante carpto lino adplicetur plagae a vesicante relictae (ad hypochondria) ter de die.

In eodem casu, postea:

Rec. Pulv. fol. Digital. purp. *scrupul. duos*
Sacch. alb. *drachm. duas.*
Bene contritus pulv. d. S. Adplicetur loco vesicantis.

Tinctura Digital. purp. externe, forma linimenti, post adplicationes praemissas supra dicti pulveris et unguenti:

Rec. Tinct. Digital. purp. *scrupulum unum*
Mucilag. g. arab. *drachm. tres.*
M. exactissime, f. linimentum.
D. S. Ope lini carpti imponatur plagae vesicante factae bis de die.

In ipso superius memorato hydropericardio, ante pulveris adplicationem:

Rec. Unguent. digest.
— Hydrargyri ciner. *āā drachm. duas*
Tinctur. Digital. purp. *scrupul. unum.*
M. exactissime in unguentum.
D. S. Ope lini carpti ad locum vesicantis ter de die ponendum, emplastro adhaesivo munitum.

In hydrope ascite:

Rec. Tinct. Digital. purp. *drachm. unam*
Olei Terebinth. *drachm. duas*
Unguent. Hydrarg.
— Althaeae *āā unc. semis.*
M. exactissime in unguent.
D. S. Inungendum abdomen bis in die magnitudine nucis juglandis.

Extractum Digital. purp., in unguentum redactum, in hepatemphraxi:

Rec. Extr. Digital. purp. *drachm. unam*
Unguenti Hydrarg. ciner. *drachm. duas*
— Althaeae *unc. unam.*
M. exactiss. in unguent.
D. S. Inungatur unguento calefacto hypochondrium dextrum, et superimponatur fomentum calido-siccum.

Tandem extractum cum mucilagine g. arab., aut adipe unitum scopo endermatico adhibebatur ad plagas saucias.

Digitalis non parum contribuit ad vim cordis infringendam in febribus enormitate actionis aut structurae cordis complicatis. Praecipuas inter morborum formas, quibus opponebatur, fuere sequentes: pneumonitis ambidextra, accedente pleuritide; congestione inflammatoria abacta, sed crescente fere adhuc pulmonum plastico et impermeabili infarctu, ope Tartari emet. et postea ope unctionis ad pectus institutae cum unguento neapol. et tinctura Digital. in melius vergebat. Sic placuit usus internus Digital. in pleuropneumonia neglecta, incipiente jam laudabili resolutione per Tartarum emet. inducta. Ex usu interno infusi Digital., et externa adplicatione tincturae Digital. et Cantharidum emelioratio visibilis erat pleuritidis recidivae in hypoclepsin abeuntis. In pneumophthisi tuberculosa progressa seponi Digitalis utplurimum debuit ob inducti gastrismi et narcoseos symptomata. Valde vero conducebat ejus cum sulfure aur. Antimonii usus in nevrorheumate femoris hypocleptico. Experimenti gratia nonnisi Digitalis exhibebatur in cardiectasi passiva (absque simultanea hypertrophia) cum splenemphraxi: Digitalis enim generatim non fertur a cardiectasi passiva laborantibus. Et revera mox dira cephalea, constrictiones cardiacae adauctae, horripilatio frequens, symptomata turbatae digestionis, vertigo, et vomendi conatus exoriebantur. Magis vero conveniebat et melius tolerabatur in cardiectasi activa, cum serosa imprimis alicubi colluvie manifesta; attamen et hic pulsum saepe fecit irregularem, imo intermittentem, aut saltem non rarum. Imo quandoque pulsus frequentior efficiebatur, praesertim non praegressa VS., in morbo cordis activo. Generatim vero magis in his casibus sanguinis nisus in cor erat infringendus, quam renisus cordis in sanguinem: quae regula practica summi momenti *Albertinio* debetur. In hypertrophia cordis dilatati, arterolithiasi et varicibus, intercurrente synocha, febre vero soluta, et superstite quamvis lenita adfectione locali, Digitalis quamvis porrecta post intervalla, diu non ferebatur absque vomitu, phaenomenis cardiacis ipsis auctis. In cardiectasi hypertrophica cum broncho-pneumonitide lenta, instituta venaesectione, infusum Digital. e granis quindecim quotidie paratum per dies duodecim absque in-

commodo ferebatur, quin imo potius effectum prius diureticum, ac serius sedantem exseruit; sed et per omnem curae decursum transpirationem laudabiliter adauxit. In alio vero casu, in quo praevalebat magis dilatatio, quam hypertrophia cordis, et simul aderat pneumonia lenta, amara magis respondebant, Digitali. Infusum Digital., praemissae VSS. cardiectasim hypertrophicam cum valvularum vitio, intercurrente pericarditide ad minorem aberrationis gradum detrusere. In casibus, ubi cardiectasis, successu curae debilitantis hypertrophia superior evasit, omine nequaquam fausto, praeprimis in bibonibus, et si cordis majus robur ad superandum circuli impedimentum requirebatur, Digitalis minus bene toleratur, imo circulum fere constanter conturbat. In casu quodam ad dissipandam seri intra pleuras copiam, Digitalis in pulvere grana viginti, in infusione grana nonaginta consumta fuerunt absque incommodo aegri. In casu haemoptyseos activae a cardiostenosi, indeque pendente cordis auxesi, venaesectiones bene ferebantur, a Digitali vero mox venenata phaenomena visa sunt, contra quae Opium utile non inveniebatur adeo, uti a quibusdam stabilitur.

Dulcamara.

Interne. Decoctum ex drachmis duabus, uncia semis, in rheumatismis, praesertim chronicis, cum suspicione residuorum syphilidis; in impetiginibus, uti tinea, pemphigo, eczemate chronico, prurigine senili, in aphthis, in syphilide larvata, impetigine scabida, in pneumo-bronchitide catarrhali lenta cum suspicione tuberculorum pulmonalium, febre vero et locali irritatione potenter restrictis; in catarrho chronico.

Rec. Stipit. Dulcamar. *drachm. tres*
Coque c. s. q. aq. c. p. $^1/_4$ h. v. cl.
Col. unc. decem adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio vascul. coff. unum.

Addebatur tali decocto acetatis Ammoniac solut. drachma, cum roob Sambuci, vel Salis ammoniaci scrupulo uno alterove (in catarrho chronico praeprimis senes molestante), unacum extracto Taraxaci, vel Liquiritiae etc. Dabatur quoque insimul cum Ononidis spinosae, Polygalae, Bardanae, Sarsaparillae, Gua-

jaei et Lichenis islandici decocto. Idem valet de *extracto* Duleamarae, quod vel in solutione, pilulis, vel, qui rarior, in pulvere ordinabatur:

Rec. Lichen. islandici *drachm. duas*
F. l. a. infuso-decoctum p. ¼ h. (vide *Lichen*)
Col. unc. octo adde solvendo:
Extr. Dulcamar. *scrupul. unum.*
D. S. Omni bihorio cochl. cib. tria.

Decoetum ad col. librarum duarum utplurimum in morbis supra dictis pro potu subministrabatur.

Pilulae eum Aethiope antimoniali, cum Ferri sulfate et extraeto Digital. purp., cum Strychnina, etc. lubenter occurrebant.

Electricitas.

Eleetro-punctura exercebatur, sed sine aliquo levamine, in aseite diffuso, peritonitide vero traumatica (per paraeenteses indueta) sanata.

Praesto erat easus anaesthesiae paraplegicae eum nota rheumatica, in quo post usum Ipecaeuanhae, Aeoniti, Ammoniae, Solani tuber., Stryehninae, vesicantium, Morphinae, Camphorae adplieabatur Eleetrieitas. Continuavit vero tune temporis dolor laneinans artus inferioris sinistri, et quidem tota die molestans noctuque; eaput solite doluit, sed minus intense, tussis aderat per diem, alvus mittebatur eum sanguine mixta, eum tenesmo expressa. Adplieatio Eleetrieitatis galvanicae, et praecise poculorum XIV., 7. mensis (ut deeursus morbi, atque in eundem direetae medelae pateat ratio). Die 14. m. observabantur in loeo adplieitae Eleetrieitatis, ustiones, sed status aegri melior, temperatura artuum inferiorum quidquam aucta, aecusati dolores fere nulli, aliquae lieet minimae adhue sensibilitatis redeuntis gloria aegri. Nova adplicatio poeulorum Nr. VIII., et die 17. m. poeulorum Nr. XII. locum habet. Die 19. reversi sunt dolores lancinantes artuum inferiorum et eapitis, vagantes, et medioeris intensitatis; quare Opium cum Ipecacuanha et Nitro porrigebatur. Die 27. m. Eleetrieum adplieabatur per ½ horae, posito aegro in balneo universali simpliei. Die mensis proxime subsequentis Junii 4. permanent in statu omnia; pro Electrico

ordinatur lutum Aponense, pilulae *Valleti* subministrant medicamen, unde visibilis quaedam emendatio erat mense Augusti, aestati vero fors magis tribuenda, quam aliis. Patebat, nam Electricitatis adplicitae effectuum dijudicandorum gratia scitu est necessarium, patebat in hocce casu origo rheumatica; patebat adfectio praecipua nervorum spinalium, et quidem in eorum radicibus posterioribus sita, ex qua illa sensibilitatis jactura; patebat adfectio duplex, una originis antiquae (ex tribus annis), galeae aponeuroticae musculorum colli, nec non hymenis nervorum, has partes, faciem providentium adfectio recens altera. Nil igitur mirum, si parum levaminis exsurgeret a mediis invocatis. Revera, et quid medicus agere valet, qualem instituere curam in partes sensibilitate destitutas, laxas, debiles, qualis cutis in hujusce casus subjecto notabatur? Exorta paralysi minimorum surculorum nerveorum minus secernebatur sebi, ipsiusque sudoris, qui prae aliis secretionibus utilis evadere debuit. Docuit vero praesens casus, Electricitatem, quae diffunditur per superficiem corporis, hinc per cutim et per nervos, qui per eam distribuuntur, actionem suam primam dirigere ad encephalum, ex qua functiones organicae majori cum activitate perficiuntur, accelerare circulationem et respirationem; reddere se- et excretiones magis abundantes frequentioresque; sed et materiales in humano organismo inducere mutationes, id quod pustulae exortae omnino confirmant.

Casum adduco paraplegiae in villico 27 annorum, fortissimae compagis. Pedibus nudis in aqua diu stetit, et aliis sese exposuit potentiis. Dolor obtusus, quasi gravitans, profundus, qui ab ultima vertebra dorsali ad primam usque sacralem decurrebat, et per pollicis spatium extendebatur, in utrumque latus, sub pressione rudiori nil, maxime vero sub trunci reflexione aut motu rotatorio exasperandus; apophyses spinosae ibi paulisper prominebant. Alius dolor descripto similis in regione vertebrarum dorsalium, qui vix occupans duarum vertebrarum spatium, magis acutus magisque superficialis sub tactu et atmosphaerae vicissitudinibus exasperabatur. Artus ab omni sensatione dolorosa penitus liberi cum sensibilitate et temperatura quasi normalibus. Sub incessu ope baculi tantum concesso aeger articulationes femorales tantummodo exercuit, articulationibus genuum immotis.

Aderat adhuc sensus ponderis in epigastrio. Alvus segnis, per dies octo etiam haerens. Urinae difficulter nec non cum levi dolore emissae erant plerumque turbidae. Sanguis prius jam evacuatus erat, sed sine fructu. Cura inchoata cum aqua laxat. Vienn., cum Strychnina et cum adplicatione fonticulorum ad latera columnae vertebralis, sed incassum. Confugiebatur ideo demum ad adplicationem Electro-magnetismi ope machinae ab ingenioso Viennensi Professore de *Ettingshausen* inventae. Adplicabatur polus negativus inter plantas pedum aut suras, positivo columnae vertebrali lumbari adposito. Inde ratione polis tum et quando inversis adplicatio per $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{2}$, $\frac{3}{4}$ horae, serius per horam integram bis in die continuabatur. Aeger ad plantas et suras sub diuturniori adplicatione paulatim percepit sensum formicationis et caloris, nil vero talium ad columnam vertebralem, quae tantummodo succussiones persensit productas conductoribus in crucem positis et invicem se tangentibus. Poli manibus exceptis eandem sensationem inducebant, quam quisque sanus experitur. Eventus autem per mensem et dimidium quasi adpliciti Electro-magnetismi continuati is erat, quod aeger observaverit motum extremitatum inferiorum paulisper, sed parum faciliorem. Anni scholastici finis ulteriorem talis praxeos effectum amplius observandum non permisit.

Proferre quoque in animo mihi est, casum paralyseos nervi facialis sinistri cum anaesthesia nervi acustici sinistri et paresi artuum lateris dextri (procedente ex causa mechanica, i. e. ab exostosi, syphilidis reliquia, in apophysi petrosa ossis temporalis et in meatu auditorio lateris sinistri). Electro-magnetismus variis regionibus applicitus et inversis polis, nullum fere attulit juvamen; quare diagnosis causae organicae confirmabatur, et cura tantummodo continuabatur antisyphilitica.

Ope galvanicae Electricitatis adplicabatur hydriodas Potassae, sed et Mercurius sublimatus corrosivus.

Equisetum arvense.

Decoctum ex uncia semis, integra paratum, in hydrope ascite locum invenit:

Rec. Herb. Equiseti arvens. *unc. semis*
Coque c. s. q. aq. c. f. p. ¼ h.
Col. unc. octo adde:
Oxymell. squillit. *unc. unam.*
D. S. Pro potu.

Euphorbium.

Emplastrum gummi-resinae Euphorbii (s. emplastrum Cantharidum resinosum, emplastrum vesicans perpetuum, seu *Janini*) in usum tractum fuit, ubi scopus exigebat, inflammationem localem, secretionem vicariam vel ulcerationem artificiales diutius constantes sustinendi. Sic in cephalea sclero-meningea rheumatica, praeter Calomel cum Jalapa, hirudines ad nucham, et:

Rec. Emplastri gummi-resin. Euphorb. q. s. ut extendatur supra pannum lineum pollicis unius et dimidii.
S. Calore emollitum adplicetur ad regionem posteriorem superiorem colli.

In blennorrhagia syphilitica ad universalem jam vergente non bene curata idem emplastrum apponebatur cum fructu utrique femorum faciei.

Faba.

Farina Fabarum, externe. In erysipelate oedematoso ordinabatur compressio tumoris farina Fabarum conspersi, et antigastrica interna; quibus auxiliis brevi tempore et tumor imminuebatur, et gastrismus. Quaedam tamen intumescentiae sparsae duriusculae in tela cellulosa femoris dextri remanebant, quae unguenti neapolitani exigebant opus.

Rec. Farin. Fabarum *libr. semis.*
S. Pro adspersione locali scroti et cruris.

Quum haec farina sola non suffecisset, eadem adspersio profecit ex farina Fabarum et Camphora rasa (vide *Camphora*).

In parulide erysipelacea:

Rec. Flor. Sambuci
Farin. Fabarum *āā unc. duas.*
M. redige in pulverem homogeneum.
S. Sacculo inclusus tepidus adplicetur parti adfectae.

Ferrum carbonicum.

(Crocus Martis aperitivus Ph. Austr.)

Optime praescribitur in pilulis, a scrupulo ad drachmam semis; in chlorosi:

Rec. Carbonat. Ferri
Extr. Aloës aquos.
— Myrrh. *āā scrupul. unum*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pilulae XXX.
Consp. pulvere Lycopodii.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Sensim augebatur dosis carbonatis Ferri ad grana XXV, ad drachmam semis, ad scrupulos duos, et quidem optimo cum successu; addebatur extractum Absynthii, Chamomillae, Gentianae, Quassiae, etc.

In febri intermittente:

Rec. Carbonat. Ferri
Sulfat. Chinin. *āā scrupul. unum.*
Extr. Taraxaci q. s. ut f. pilulae XXX.
Consperg. pulvere Liquirit.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Augebatur dosis ad drachmam semis, addito Felle Tauri inspiss., in hydrope ascite, peracta jam paracentesi; sed et connubium quoque celebrabatur cum extracti cort. Peruv. drachma dimidia.

Pulvis, in nevralgiis quoque adhibitus fuit magno cum levamine et quidem nevralgiae intercostalis a zostere semicircinato trunci relictae; itidem prosopalgiae:

Rec. Carbonat. Ferri *drachm. unam*
Pulv. cort. Cinnamomi *drachm. semis.*
M. D. S. Sumatur in duabus vicibus, interpolata omni quarta die aquae Seidschützensis, vel Püllnensis libra semis — una.

Melius exinde valuit aeger, sed dolendum, quod domum redire debuerit.

Ferrum carbonicum oxydulatum, Massa pilularum ferruginosa Valleti.*)

Earum praecipua pars est carbonas Ferri oxydulati, s. carbonas protoxydi Ferri, praeparatum stabile sistit ob mel aut saccharum, altiorem oxydationem Ferri cohibens, et remedium praestans, ob faciliorem in secundas vias susceptionem; in chlorosi, etc., digestionem caeterum non adeo offendens. Dosis hujus massae pilularis ab una usque ad pilulas decem de die fuit: pilula autem singula continet granum 1,3 carbonatis Ferri = gr. 0,8 protoxydi.

In febri subcontinua cum residuis chloroseos, post usum tincturae, et extracti malatis Ferri:

Rec. Pilularum Valleti *Nr. quinque.*
S. Omni bihorio pilula una.

Consumtis dein pilulis Nr. novem de die, sanatio obtinebatur. In quotidiana intermittente, cum incipiente pellagra, febre per sulfatem Chininae et sulfatem Ferri jam abacta, sed denuo recurrente, earumdem pilularum Nr. sex in die consumebantur optimo cum successu. Bene confirmarunt hae pilulae curam in scrofulae et pellagrae casibus quibusdam. In anaesthesia paraplegica nil plane fausti effecerunt (vide *Electricitas*).

In chlorosi primaria, post usum Rhei cum Aurantio, post Absynthium et Quassiam, pilulae Valleti Nr. decem in die sumtae nondum procuravere menstrua, quare confugiebatur, ad:

Rec. Pilular. ferruginos. Valleti *Nr. octo*
Extr. Aloës aquos. *grana decem*
Pulv. Liquirit. q. s. ad pilulas Nr. duodecim.
Consperg. eodem pulvere.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Hae pilulae ab initio produxere incommoda gastrica, quae tamen, dosi imminuta, cessarunt.

Laudanda erat combinatio sequens, in hypertrophia lienis,

---

*) Extrait du rapport de M. Soubeiran, sur les pilules ferrugineuses de Vallet, fait à l'Académie royale de Médecine, et approuvé par elle dans sa séance du 8. Mai 1838. Paris, 1838.

post usum solventium tonicorum, muriatis Ferri ammoniacalis et globulorum martialium in balneo:

Rec. Massae pilular. Valleti *Nr. sex*
Sulfat. Chinin. *grana octo.*
Malaxentur invicem, et f. l. a. pilulae Nr. sex.
D. S. Omni bihorio pilula una.

Extractum malatis Ferri.

(Extr. Ferri pomatum, s. Extr. Martis cum succo pomorum)

Pilulae, in chlorosi:

Rec. Extr. malat. Ferri *scrupulos duos*
— Trifol. fibrin. *scrupul. unum*
Pulv. rad. Valerian. q. s. ut f. pilulae XXX.
Consperg. pulvere Liquirit.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

In eodem morbo eadem formula cum extracto Aloës aquoso, Chamomillae, Valerianae, Absynthii, Gentianae praescribebatur; ubi vero adfuit sensibilitas notabilior, addebantur Hyoscyami extracti grana sex.

Pilulae ex extracto malatis Ferri unacum sulfate Chininae, in quartana simplici cum insigni lienis hypertrophia, hac vero per methodum curae aptam jam imminuta, non saltem febrim illico decrescere, verum et ingentem illum lienis tumorem prompte et penitus solutum reddidere.

Felix utique praescriptio fuit in amphimerina rheumatica cum irritatione systematis uropoëtici in chlorotica, post usum pilularum ex Quassia et cortice Peruviano, et abacta jam febre, omnique irritatione:

Rec. Extr. malatis Ferri
— cort. Peruviani
— Quassiae *āā scrupulum unum*
Pulv. Acori q. s. ut f. pilulae XXX.
Consperg. pulvere Liquirit.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

In pellagrae stadio secundo, post aliorum medicaminum usum:

Rec. Extr. malat. Ferri *grana duodecim*
— Gentianae luteae *scrupul. unum*

Pulv. rad. Calami arom. q. s. ut f. pil. xij.
Consperg. pulv. rad. Irid. florent.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Tinctura malatis Ferri.

In chlorosi:

Rec. Flor. Chamomill. *unc. semis*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Tinct. malat. Ferri *scrupul. unum*
Extr. Absynth. *drachm. unam.*
D. S. Omni bihorio cochl. cib. tria.

In ascite atonico:

Rec. Quinque radicum aperientium *unc. duas*
Consc. coq. p. ¼ h.
Col. libr. unius adde:
Tinct. malat. Ferri *drachm. semis*
Roob Juniperi *unc. unam.*
D. S. Omni bihor. vascul. coff. semis.

Augebatur serius tincturae dosis ad drachmam integram.

Ferrum muriaticum.

In diarrhoea pellagrosa:

Rec. Rad. Rhei chinens. *drachm. semis*
Inf. s. q. aq. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. sex adde:
Muriat. Ferri solut. *grana quindecim*
Syr. cort. Aurant. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Murias Ferri ammoniacalis.

Vide *Ammonium muriaticum martiatum.*

Ferrum limatum.

Pulvis, vel pilulae ad grana 6, 9, 12; c. gr. in tremore mercuriali; ad finem curae:

Rec. Ferri limati alcoholisat. *grana duodecim*
Extr. Quassiae *drachm. unam*

Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pilulae pond. gran. duorum.
Consperg. eodem pulvere.
D. S. Omni bihorio pilulae quatuor.

Connubium cum Felle Tauri et sulfate Chininae, in febri tertiana erratica cum splenemphraxi insigni; postquam solventia, flores Salis ammon. mart.[1], et balnea ferrata fuerant adhibita.

Ferrum sulfuricum.

Pulvis, sed raro, sequenti formula:

Rec. Ferri sulfur. cryst. *drachm. semis*
Sacch. alb. *drachm. unam et semis.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. duodecim.
D. ad chart.
S. Nr. I.

Rec. Bicarbonat. Sodae *drachm. semis*
Sacch. alb. *drachm. unam et semis.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. duodecim.
D. ad chart.
S. Nr. II.
Sumat aeger omni bihorio unum ex pulveribus Nr. I., et paulo post e pulveribus Nr. II., hauriendo desuper dimidium poculum aquae.

Pilulae, cum extr. Taraxaci, in febri quartana cum hepatosplenemphraxi consequente, scopo prophylactico, ad convalescentiam firmandam; itidem ut vires redintegrentur, in leucorrhoea jam convalescente, in chlorosi, in pellagra:

Rec. Sulfat. Ferri *grana sex*
Extr. Taraxaci *scrupul. unum*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pilulae decem.
Consperg. pulvere Lycopodii.
D. S. Omni bihorio pilula una.

Vel sulfatis Ferri grana octo, divisa in pilulis octo — duodecim; pro pulvere vero Liquiritiae sumebatur Acori pulvis.

Cum extracto Trifolii fibrini, in pellagrae primo stadio, post usum Rhei, et penes diaetam lacteam:

Rec. Sulfat. Ferri *grana decem*
Extr. Trifol. fibrini *drachm. unam*

Pulv. Acori q. s. ut f. pilulae XX.
Consperg. pulvere eodem.
D. S. Omni bihorio pilulae tres.

Haud pauci erant casus pellagrae vel recentis, vel progressae, et veteris, in quibus hae pilulae ad mentem cl. Professoris *Federigo* praestantissimum non exstitissent remedium. Utplurimum hebdoma curae suffecit ut observari posset symptomatum omnium luculenta remissio. Communiter hocce remedium alternabat cum Rheo. Non minus laudanda fuit earum virtus in leucochlorosi.

Curae confirmatoriae, in catarrho bronchiali chronico cum febre lenta inserviebat:

Rec. Extr. Trifol. fibrini *drachm. duas*
— Hyoscyami nigri
Sulfat. Ferri *āā scrupulum unum*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil. pond. gr. trium.
Consperg. pulvere eodem.
D. S. Omni bihorio pilulae tres — quatuor.

Cum Aloës extracto, roboris addendi gratia, in amenorrhoea cum fluore albo vicario et incipiente scorbuto in scrofulosa.

In chlorosi secundaria, versus finem faustae curae:

Rec. Sulfat. Ferri *grana decem*
Extr. Absynth.
— Valerian. sylv. *āā scrupul. unum*
Pulv. Absynth. q. s. ut f. pilulae XX.
Consperg. pulvere Lycopodii.
D. S. Omni bihorio pilulae tres.

In cardiectasi passiva:

Rec. Sulfat. Ferri *grana duodecim*
Extr. cort. Peruv. q. s. ut f. pil. X.
Consperg. pulv. Lycopodii.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

In simili casu:

Rec. Sulfat. Ferri *grana octo*
Pulv. fol. Digital. purp. *grana sex*
Extr. Taraxaci *drachm. unam*
Pulv. rad. Liquirit. q. s. ut f. pil. pond. granor. duorum.

Consperg. pulvere eodem.
D. S. Omni trihorio pilulae tres.

In hypertrophia cordis cum dilatatione, et hydrope secundario cura nonnisi palliativa institui potuit:

Rec. Sulfat. Ferri
Extr. Digital. purp. *āā grana duo*
— Dulcamar. *grana quindecim*
Pulv. baccar. Juniperi q. s. ut f. pilulae decem.
Consperg. eodem pulvere.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Ob conatus vomendi, Digitalis seposita, emendatio nulla hydrops magis evolutus, hinc:

Rec. Extr. cort. Peruvian. *drachm. semis*
Sulfat. Ferri *grana decem*
Pulv. Liquirit. q. s. ad pilulas formandas XX.
Consperg. eodem pulvere.
D. S. Omni bihorio pilulae quatuor.

Multum inde emendatus domum abiit, ut continuaret curam: pulsationes cordis et aortae imminutae, morbus tamen secundarius inversa ratione progrediebatur, viresque aegri magis magisque frangebantur. Quod magna cum fortuna contra cardiectasin passivam (absque simultanea hypertrophia) pugnavit, Ferrum sulfuricum sine multo fructu dabatur in anevrysmate aortae.

Connubium cum Pigmento indico, vide sub *Pigment. ind.*

Solutio, interne, ad curam confirmandam, in ephidrosi chronica:

Rec. Decocti cort. Peruviani ex *unc. una* per horam parati *unc. decem*
adde solvendo:
Sulfat. Ferri *grana octo*
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Solutionem Ferri sulfurici et Chinini in Acido sulfurico vide sub *Chininum sulfuricum.*

In pellagra:

Rec. Rad. Taraxaci *unc. duas*
Consc. coque c. s. q. aq. c. f. p. $^1/_2$ h.
Col. fortiter expressae librae unius adde:

Sulfat. Ferri *scrupul. semis*
Extr. Gramin. liquid. *drachm. tres.*
M. D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Sic propinabatur ex decocto Ononidis spinosae, et corticis Peruviani, addito, pro re nata, extracto Aloës aquoso.

Ingrediebatur quoque mixturam ex aqua Rosarum, etc.: quod vide sub *Rosa.*

Protojoduretum Ferri.

Interne. Pilulae, in metro-oophoritide lenta cum residuis bronchitidis convulsivae in scrofulosa (amenorrhoica), post usum extracti Hyoscyami, emulsionis amygdalinae:

Rec. Protojodureti Ferri *grana duo*
Extr. Taraxaci *grana octodecim*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. l. a. pilulae decem.
Consperg. pulvere eodem.
D. S. Omni bihorio pilula una, excepto tempore febrili; postea pilulae duae omni bihorio.

Externe. Pulvis, methodo endermatica:

Rec. Protojodureti Ferri *grana quinque*
Pulv. Amyli *scrupul. duos.*
M. exactissime, fiat pulvis aequabilis.
D. S. Adplicetur per tres vices, ad plagam ex vesicante relictam.

Sed dolor idem permansit, ita ut ad alia, i. e. ad pilulas ex Conii extracto cum Kali hydriodico confugeretur.

Idem protojoduretum Ferri adplicabatur in duobus scrofulae casibus; sed melior inde in ulceribus quam tumoribus effectus visus est. In hypertrophia lienis, quae non cessit muriati Ferri ammon. cum sulfate Chininae, balneis martialibus et pilulis Valleti, hydriodatis Ferri ab initio granum $1\frac{1}{2}$, postea grana 2 — $2\frac{1}{2}$ de die consumta, et balnea cum globulis martialibus adhibita tumorem imminuebant lienis. Emphraxes autem sanguineae lienis non tolluntur remediis solventibus, quae magis relaxarent, sed potius illis, quae majorem tonum vasis absorbentibus nec non venosis et ipsi lienis textui tribuunt: praeparatis ergo martialibus, notis jam Romanis in lienis hypertrophia hic praecipue opus est. A mitioribus vero praeparatis ferricis inci-

piebat cura, non negligendo subministrationem purgantium tonicorum interpolatam; Chininae sulfas dabatur, quando a febribus intermittentibus orta erat lienis hyperaemia, et optime conduxit. Caeterum omnis genuina inflammatio abesse debet, ut Ferrum toleretur.

Prussias Ferri.

Pilulae, in cardiectasi hypertrophica sinistra cum incipiente hydrothorace et accedente parulide; post adaequatam curam antiphlogisticam, pacato systemate nervoso:

Rec. Prussiat. Ferri *grana quindecim*
Extr. Taraxaci q. s. ut f. pilulae quindecim.
Consperg. pulvere Liquirit.
D. S. Omni bihorio pilula una.

Sub earumdem pilularum usu molestiae cardiacae sensibiliter imminuebantur, sed cephalicae potius increvere.

Globuli tartratis Ferri et Lixivae, s. Globuli martiales.

Externe, in solutione pro balneo, in splenemphraxi:

Rec. Globulos martiales *Nr. duos.*
S. Globulus unus coquatur in aquae fontis libra per horam, atque dein aquae pro balneo addatur.

Tales globuli martiales cocti etiam cum decocto Saponis aquae pro balneo addebantur.

Filix Mas.

Decoctum ex uncia semis, vel drachmis sex, ad colat. unc. octo paratum; etiam pulvis a scrupulo uno ad drachmas duas. In febri verminosa:

Rec. Rad. Filicis Maris *unc. semis*
Coq. c. s. q. aq. c. f. p. 1/4 h.
Sub finem coctionis infunde:
Semin. Santonici *drachm. duas*
Stent in digestione p. 1/4 h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Syr. Cichor. c. Rheo *unc. unam.*
M. D. S. Omni hora cochl. cib. duo.

Augebatur dosis radicis Filicis ad drachmas sex. Decocto quandoque subjungebatur Absynthium, Tanacetum.

Foeniculum.

Infusum, in enteralgia flatulenta febrili cum accedente ascite:

Rec. Semin. Foeniculi *drachm. duas*
Inf. s. q. aq. ferv. p. 1/4 h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Sal. ammoniaci depur. *drachm. semis*
Succi Liquirit. *drachm. unam.*
D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Elaeosaccharum Foeniculi in pulvere, cum Rheo et Magnesia et aliis pulveribus ad drachm. duas; in infuso Arnicae cum spir. Aetheris sulfurici, in febri gastrico-biliosa, etc.

Aqua destillata Foeniculi, ad corrigendum olei Jecoris Aselli saporem:

Rec. Aquae destill. Foeniculi *unc. duas.*
S. Cochlearia cib. duo illico post sumtum oleum Jecoris Aselli.

In febri gastrico-biliosa, cum nota nervosa:

Rec. Aquae destill. Foeniculi *unc. tres*
Spirit. Aether. sulf. *gutt. triginta*
Syr. Diacodii *unciam unam.*
M. D. S. Omni hora cochl. cib. duo.

Ex aqua Foeniculi pulpa Cassiae lubenter sumebatur et tormina praecavebat. In aqua dest. Foenic. solvebatur extractum Graminis, et addebatur hydrochloras Ammoniae, in scirrho ad pylorum.

Fumaria.

Usus ejus rarus erat.

Rec. Herb. Fumariae *unc. semis.*
Consc. coq. c. s. q. aq. p. 1/2 h.
Col. fortiter expr. unc. decem adde:
Tinctur. Rhei aq. *unc. unam*
Elaeosacch. cort. Aurant. *drachm. unam.*
M. D. S. Omni hora vascul. coff. semis.

Galbanum.

Emplastrum de Galbano crocatum, ad furunculos, tumores diutius suppurantes cum successu adplicabatur:

Rec. Empl. de Galbano crocati *unc. duas.*
S. Adplicetur ad furunculos.

Unacum Theriaca Andromachi, in anevrysmate aortae thoracicae, ad dolores ex attritu vertebrarum sedandos:

Rec. Empl. de Galbano crocati *unc. duas*
Theriacae Andromachi *unc. unam.*
Malaxentur invicem leni igne, f. emplastrum.
S. Adplicetur ad decursum adfectionis dolorificae.

Unacum emplastro mercuriali et Cicutae ex partibus anaticis; in hepato-splenemphraxi.

Gentiana lutea.

Pilulae, in pneumonia rheumatico-biliosa, cum dilatatione arcus aortae; ad finem morbi acuti:

Rec. Extr. Gentian. *drachm. semis*
Pulv. semin. Lycopod. q. s. ut f. pil. decem.
Consperg. pulvere eodem.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

In porrigine larvali Willani:

Rec. Extr. Gentian. *grana duodecim*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil. sex.
Consperg. eodem pulvere.
D. S. Omni bihorio pilula una.

Rec. Extr. Gentian.
Gummi-resin. Asae foet. *āā grana duodecim*
Pulv. Liquirit. q. s. ut formentur inde pilulae duodecim.
Consperg. eodem pulvere.
D. S. Omni bihorio pilula una.

In hepato-splenemphraxi subinflammatoria febrili, accedente hydropericardio et hydrothorace, post plura alia medicamina:

Rec. Extr. Gentian.
Saponis medicinal. *āā drachm. semis*

Pulv. rad. Calami arom. q. s. ut f. pil. XXX.
Consperg. pulvere eodem.
D. S. Sufficiant pro duabus diebus, sumendo pilulas, in vicibus tribus de die, quinque.

Gramen.

Decoctum Graminis ex uncia una, vel duabus, aut solum, aut cum Acido tartrico, aut succo Citri inserviebat potui permultis in febribus, praeprimis gastricis, biliosis, etc. Decocto addebatur pro medicamine, Cremoris Tartari, Tartari tartarisati uncia semis, Sal ammoniacus depuratus et succus Liquiritiae, vel granum unum alterumve Tartari emetici, vel Manna electa. Gramen coquebatur cum Ononide spinosa, cum fructibus Tamarindorum, addito Tartaro boraxato, vel liquore Terrae fol. Tartari; cum Nitri puri drachma, et Oxymelle squillitico quoque praescriptio placuit.

In hydrope, et plerisque febribus:

Rec. Rad. Gramin. *unc. duas*
Consc. coque c. s. q. aq. p. $\frac{1}{2}$ h.
Col. librar. duarum adde:
Cremor. Tartari
Syr. simpl. *āā unc. semis.*
D. S. Pro potu.

In febri quartana cum emphraxibus:

Rec. Rad. Gramin. *unc. duas*
Consc. coq. c. s. q. aq. p. $\frac{1}{2}$ h.
Col. fortiter expr. librae unius adde:
Salis ammon. depur. *drachm. semis*
Succi Citri r. pr. *drachm. sex*
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

Extractum Graminis liquidum ad unc. semis cum aliis remediis solventibus, uti in ultima formula loco succi Citri, uncia semis extracti Graminis occurrebat, in scrofulis cum helminthiasi.

Gratiola.

Ultimum melancholiae residuum, alvo ex infuso Gratiolae aliquoties mota, dispellebatur.

Graphites,
s. Carburetum Ferri nativum.

Pulvis. Interne, in pemphigo scorbutico, decrescentibus per apta medicamina, praeter corticem Peruvianum cum Acido nitrico diluto, symptomatibus scorbuti et decrescente eruptione, bulla vero magna perstante in gena:

Rec. Pulv. Graphitis elutriati *scrupul. duos*
Sacch. albi *drachm. unam.*
M. exacte, div. in pulv. aeq. Nr. sex.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

Postea:

Rec. Pulv. elutriat. Graphit. *drachm. unam*
— Aethiop. antimon. *grana duodecim*
Sacch. alb. *drachm. semis.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. sex.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

Per duas hebdomadas continuabatur Graphites, sed absque vel exiguo cum effectu, ita ut ad corticem Peruvianum demum confugeretur, optimo cum successu.

In lichene, post usum aquarum Raincrianarum, et penes has, Lac, balnea simplicia, et cum Tritico et herba Cicutae:

Rec. Carbureti Ferri nativi *drachm. unam*
Sacch. alb. *drachm. unam et semis.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. octo.
D. S. Omni bihorio pulv. unus.

Jam die altero exanthema pallescere incepit; Graphites augebatur ad scrupulos quatuor, postea ad drachmam unam et semis. Desquamatio magis magisque pallida: Graphites ad drachm. duas. Cutis etsi tensa, tamen minus arida et tensa; sudor enim semper adfuit, praesertim de nocte. Sed adhiberi debebant dein adhuc aquae thermales Aponenses, et unguentum Jasseri.

Idem remedium ad drachmam semis, cum elaeosacchari cort. Aurant. drachmis duabus, penes balnea ex Tritico lichenem emeliorarunt.

Guajacum.

Decoctum *rasurae ligni Guajaci*, ex unciis duabus, ad colat. unciarum decem paratum, praeterea cum Sarsaparilla; item in decocto specierum lignorum, adversus luem (scrofulam) medorrhoicam cum arthro-rheumate. In syphilide universali cum diathesi scorbutica:

Rec. Rasur. ligni Guajaci *unc. duas*
Coq. c. s. q. aq. p. horam
Col. unc. octo adde:
  Acidi nitrici diluti *drachm. semis*
  Mucilag. g. arab.
  Syr. simpl. *āā unc. unam.*
D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Resina, in pilulis ad grana duodecim et ultra, in podosteritide scrofulosa-medorrhoica:

Rec. Resin. ligni Guajaci
  Aethiop. antimon. *āā grana duodecim*
  Extr. Aconiti *grana quatuor*
  — Liquirit. q. s. ut f. pil. XVI.
Consperg. pulvere eodem.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

In adenophymate scrofuloso:

Rec. Gummi-resin. Guajaci *grana duodecim*
  Extr. Quassiae
  — cort. Peruvian. *āā drachm. semis*
  Pulv. rad. Acori q. s. ut f. pil. XXX.
Consperg. pulvere Cinnamomi.
D. S. Omni bihorio pil. duae.

Gummi arabicum.

Mucilago addita infusis et decoctis ad unciam unam; adhibebatur etiam pulvis ad subactionem oleorum et Camphorae.

Linctus, ad leniendam tussim:

Rec. Mucilag. g. arab.
  Syr. Althaeae *āā unc. unam*
  Extr. Hyoscyami *gran. quinque.*
M. f. linctus.
D. S. Ad parva cochlearia imminente tussi.

Rec. Mucilag. g. arab.
Syr. Diacodii *āā unc. unam.*
M. f. linctus.
D. S. Uti supra.

Huic linctui addi solebat aqua Laurocerasi, tinctura Opii simplex, acetas Morphii vel et alia.

Mucilago g. arab. serviebat suspensioni sulfatis Chinini, extracti Scillae, aliarumque usui endermatico destinatarum substantiarum.

Collyrium, in ophthalmia rheumatica:

Rec. Aq. destill. commun. *unc. sex*
Extr. Hyoscyami *grana sex*
(vel: Aq. dest. Laurocerasi *drachm. unam*)
Mucilag. g. arab. *unc. unam.*
M. D. S. Collyrium.

Gummi Guttae.

Pilularum forma, pro necessitate adjunctis Calomele, rad. Scillae marinae, resina Jalappae: ad grana octo — decem. In hydrope atonico:

Rec. Pulv. Gummi Guttae *grana octo*
Extr. Taraxaci *scrupul. unum*
Pulv. Calami aromat. q. s. ut f. pil. X.
Consperg. pulvere eodem.
D. S. Omni hora pilula una.

Solutio, in enteralgia flatulenta febrili, accedente hydrope ascite; urinae parcae, sudores nulli, tumor abdominis auctus, magis tensum duriusque ipsum:

Rec. Gummi Guttae *grana sex*
Cont. solve in:
Aq. comm. dest. *unc. sex*
adde:
Carbonat. Lixivae alcal. solut. *drachm. tres*
Syr. Cichor. c. Rheo *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

Medicamentum vero vomitum produxit et alvum restrinxit.

Helleborus albus.

Ingrediens unguenti Sulfuris compositi. Vide *Sulfur.*

Hordeum.

Decoctum porrigebatur instar potus in omnibus fere febrilibus morbis, quamvis non in omnibus casibus, nominatim in febri biliosa et intermittente (cum Acido tartrico, Cremore Tartari et Oxymelle simplici); in chlorosi (cum elixir acido Halleri); in scorbuto (cum Acido sulf. dil.); in inflammationibus praesertim pulmonum (c. Nitro, Tartaro emetico). Potus largus, in febribus nervoso-catarrhoso-gastricis cum parenteritide folliculosa; in nevro-cystide ex usu Cantharidum, etc.

In adfectionibus febrilibus, generatim:

Rec. Hordei mundati *unc. duas.*
Coq. c. s. q. aq. c. ad crepaturam granorum usque
Col. librarum duarum adde:
Sacch. alb. *unc. unam.*
D. S. Potus.

Collutorium, cum mucilagine g. arab., in angina faucium.

Rec. Dec. Hordei ex *unc. duabus* l. a. parati *libr. unam*
Mucilag. g. arab. *unc. duas.*
D. S. Collutorium.

Externe, cum Sale ammoniaco, vel cum oleo Lini et Sale culinari:

Rec. Decocti Hordei l. a. parati *unc. decem*
Olei Lini *unc. duas*
Salis culinaris *unc. semis.*
M. D. S. Clysma.

Hirudines.

Lateri dolenti adplicabantur, in pleurodynia rheumatica, in pleuritide hypocleptica. Ad regionem temporalem, in febri rheumatico-catarrhali, cum oculorum injectione et illacrimatione, cephalea rebelli, coryza et narium obstipatione. Retro aures, in statu delirii, in encephalo-symphoresi; in meningitide peripherica (sed etiam ad nucham et in nariees). Ad nucham, in cephalea-sclero-meningea; in statu delirii in febri nervosa. Repetitae adplicationes hirudinum ad cervicem (et unguenti Autenriethi) intra dies 19 sanarunt perfecte paraplegiam artuum superiorum, ex apoplexia sanguinea congestiva relictam, cum accedente ne-

vralgia cervicali continua atque subinflammatoria incedentem. Idem valet de apoplexia sanguinea, et paresi rheumatica; sic in tromophrenesi bibonum, infra occiput adplicabantur sanguisugae. Ad collum anterius, in isthmitide. Ad latus colli, in stomatitide, ac syphilitica faucium ulceratione. Ad manubrium sterni, in isthmo-tracheitide, in catarrho bronchiali residuo ex alio morbo. Ad mammas, ad sternum, in dolore rheumatico mammilari (vel recurrente ex processu interno tuberculoso). Juxta fistulam spiritalem, in broncho-tracheitide catarrhali lenta. Ad cartilaginem xyphoideam, ubi accusabatur dolor, in catarrho bronchiali. Ad claviculas, in oesophagitide, et parotitide rheumatica. In parulide, parti adfectae non nimis vicine hirudines locum habebant. Circa tumoris peripheriam, ad praecordia, in anevrysmate arcus aortae, post hirudinum applicationem cum epithemate frigido aut ex aqua Goulardi fomentando. Circa locum gibbi, in cyphosi cum tumore dorsuali. Ad latera chordae inflammatae, in phlebitide femorali (praemissa venaesectione). Ad latera columnae vertebralis, in notaeo-myelitide lumbari, malactica. Ad lumbos, in spondylorheumate lumbari. Ad genu, in arthrorheumate inflammatorio, in tumorem mali moris abeunte. Ad partem internam tibiae, in nevrorheumate crurali hypocleptico. Supra bubonem syphiliticum. Ad epigastrium, in epigastralgia. Ad abdomen, in peritonitide transeunte in hypoclepsin, in ascite et anasarca ex scarlatina, in ascite ob peritonitidem. Ad genitalia, in puerpera, ob lochia suppressa. Ad labia pudenda et faciem internam femorum, in oophoritide chronica. Ad partem femorum internam, in congestione menstrua in puella amenorrhoica, in metro-oophoritide lenta in amenorrhoica, in hepatitide peritonaea, in metastasi encephalica, decursu diarrhoeae seroso-lymphaticae. Ad perinaeum, in metro-parectamate lente inflammatorio, in haematuria renali, menstruationi et haemorrhoidum fluxui vicaria, in orchitide. Quatuor digitis procul a cursu arteriae, in arteritide lenta crurali; in aliqua distantia a scroto (ne pars adfecta nimis irritetur, et evitetur inflammatio erysipelacea unacum gangraena), in orchitide traumatica, sed praemittebatur venaesectio; sic quoque in tumoribus et congestionibus haemorrhoidalibus, in aliqua ab istis distantia admovebantur hirudines. Maxima vero extensione et felicissimo eventu gaudebat iterum iterumque commendanda

hirudinum adplicatio ad anum; et quidem in: febribus sive intermittentibus, sive continuis remittentibus, gastricis, nec tantum biliosis, verum et saburralibus, si irritatio gastrica major esset; in splenalgia; in hepato- et splenemphraxi; in synochis gastricis; in nervosis parentericis; in colica hepatica; in hepatitide; in colitide lenta; in colepatitide; gastro-enteritide; enteritide; ictero; in diarrhoea serosa-rheumatica; in paraphlogosi peritonaea circa hepar, circa splen; in enteralgia flatulenta febrili; in diarrhoea pellagrosa; in pellagra cum gastrica irritatione, stadio primo; in cardiectasi cum congestione hepatis aut lienis venosa. Hirudines No. 38 ano admotae solae absque aliis remediis febrem intermittentem tertianam irregularem cum nota gastrico-venosa fugarunt; sed alium adhuc similem casum proferre valeo. Quis non sequeretur naturae venerabilis nutum, quando febres biliosae fluxu haemorrhoidali judicatae essent: id quod revera, de quo loquor in Clinico solemniter accidit! Numerus applicatarum hirudinum in gravioribus et pertinacioribus inflammationibus (quae sine magna febre in Italia saepe occurrunt) quandoque sat insignis erat. Tales casus fuere prae aliis a peritonitide, mesenteritide, tumore rheumatico genu. In nullo tamen horum numerus 160 hirudinum, intra tres menses, excedebatur. In praxi privata et nosocomiali medici Patavini longe majoribus numeris delectantur.

Hydrargyrum sulfuratum nigrum, Sulfuretum Hydrargyri, Aethiops mineralis.

Pulvis, a granis tribus, ad scrupulum de die:

Rec. Aethiop. mineral. *grana novem*
Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. sex.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

Remedium praebuit in blennorrhagia vesicali in individuo pellagroso. Dosis serius augebatur ad grana duodecim.

Sequens formula, in psora sicca:

Rec. Aethiop. mineral. *grana viginti quatuor*
Flor. Sulfur. lot. *drachm. duas*

Sacch. alb. *drachm. tres.*
M. f. pulv. aequabilis.
D. S. Omni bihorio cochl. coff. unum.

Dosis Aethiopis serius ad drachmam semis aucta fuit.

Pilulae, utplurimum cum extracto Taraxaci (ad mentem *Hufelandi*), ad totalem syphilidis localis et scabiosi contagii exstirpationem; in tinca capitis; in ichthyosi squamosa, post usum Picis, unguenti anglicani, nova efflorescentiarum eruptione, et cuti tensa adeo, ut fere ad indurationem accederet; in condylomatibus ad anum.

Rec. Aethiop. mineral. *scrupulum unum*
Extr. Taraxaci q. s. ut f. pilulae X.
Consperg. pulvere Liquirit.
D. S. Omni bihorio pilula una.

Rec. Aethiop. mineral. *grana quindecim*
Extr. Conii macul. *grana duodecim*
— Liquirit. q. s. ut f. pil. XII.
Consperg. pulvere Liquirit.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Cum extracto Dulcamarae, in tinea capitis, habito sub finem respectu ad diathesin erethisticam scrofulosam.

Hydrargyrum stibiato-sulfuratum, Aethiops antimonialis.

Eadem forma, eadem dosis, fere in iisdem morborum formis, ut praecedens Hydrargyri praeparatum adhibebatur. Solenne remedium fuit in tinca curanda, et generatim in eruptionibus cutaneis chronicis, cumprimis eczemate chronico, priori praeferebatur.

Unguentum Hydrargyri cinereum.

Hujus unguenti ope frictiones instituebantur ad pectus, in pulmonis processu inflammatorio in hepatisationem transgrediente, aut jam exorto producto inflammationis pulmonis aut pleurae; ad partem dexteram colli, in isthmitide phlegmonosa; in tumoribus scrofulosis; in pleuritide, peritonitide hypoclepticis; in hepatitide peritonaea diffusa, cum signis effusionis serosae; in hepato-

et splenemphraxi; ad resolutionem tumoris residui in paraphlogosi hepatis; in tinea capitis unctiones partis capillatae; in nevrorheumate hypocleptico, in notaeo-myelitide lumbari, malactica, infracta diathesi phlogistica, frictiones mercuriales ad spinam dorsi; in spondylextosi cervico-dorsali (syphilitica), moxae e latere tumoris ponebantur, et plagae ustae, ad imitationem *Asthley-Cooper* cum unguento neapolitano tractatae; in erysipelate oedematoso, tumore in crure rubro, modice calente, pastaceo, sed jam imminuto, intumescentiis sparsis duriusculis pugni magnitudine in tela cellulosa femoris remanentibus; in apoplexia sanguinea, frictiones ad sedem adfectionis; in bubone; in syphilide universali, sub schemate dolorum osteocoporum, condylomatum et mentagrae, inunctiones artuum quotidie instituebantur. In syphilide inveterata prima inunctio instituebatur in brachio sinistro, altera in crure dextro, quarta in crure sinistro, eligendo semper faciem internam horum artuum; quinto die nulla inunctio, sed balneum universale; sexto die inunctio iterum incipiebat a brachio sinistro, et frictiones pro necessitate et tolerantia per eumdem cyclum continuabantur, vel et per plures cyclos. Continuabatur haec methodus usque ad incipientem salivationem, et hac per congruam methodum (vide *Scopolina*) fugata, quandoque iterabatur.

Vulgatior caeteris formula erat:

> *Rec.* Unguenti Hydrarg. ciner. *drachm. tres.*
> Divide in dos. aeq. Nr. duas.
> S. Vesperi portio una inungenda.

In emphraxibus viscerum:

> *Rec.* Unguenti Hydrarg. ciner. *drachm. tres*
> Adipis suill. rec. *unc. semis (— unam).*
> M. exactiss. in unguentum.
> D. S. Hypochondrium (ubi pars tumens, adfecta) ad magnitudinem nucis avell. bis in die vel pro re nata omni secunda die) inungendum.

Cum oleo, vel unguento Juniperi, oleo Terebinthinae, in ascite; cum Ammonia pura liquida, ad solvendos tumores sic dictos frigidos; cum linimento sapon.-camphorato, in pleuropneumonia rheumatica, persistente adhuc affrictu; cum tinctura Digital. purp. et Cantharidum, in pleuritide recidiva, abeunte

in hypoclepsin; cum extracto Cicutae in pyoblennorrhoea vesico-genitali; cum Digitali, in ascite; cum oleo cocto Hyoscyami, in febre rheum.-catarrhali, insurgentibus gravibus symptomatibus, cephalea rebelli, coryza et narium obstipatione:

Rec. Unguenti neapol. *drachm. unam*
Olei cocti Hyoscyami *drachm. duas.*
M. S. Pro frictione regionis frontalis et temporalis saepius de die.

Sumebantur drachmae sex olei Hyoscyami, et unguenti neapolitani drachmae duae, in rheumatismo articulari afebrili genu in transudationem tendente. Drachma una unguenti dicti et drachmae sex olei H. in rheumatismo articulari inflammatorio sumebantur usui.

In podosteritide scrofuloso-medorrhoica; in rheumatismo capitis et colli:

Rec. Unguenti Hydrarg. ciner. *drachm. duas*
Olei cocti Hyoscyami *unc. semis*
Laudani liquid. Sydenhami *drachm. semis.*
M. f. linimentum.
S. Illiniantur (in priori casu) partes adfectae in diebus tribus, et ligentur post singulam unctionem panno laneo; (in secundo casu) illiniatur bis de die regio auris et nuchae.

Cum extracto Conii maculati, in orchitide traumatica, jam sub finem medelae, epididymide cum testibus quidquam magis accuminatis. Vide *Cicuta.*

Cum tinctura Digital. purp. methodo endermatica, in pleuro-pneumonia rheumatico-catarrhali, ad producta (hepatisationem et exsudatum) discutienda:

Rec. Unguenti Hydrargyri ciner. *drachm. duas*
Tinct. Digital. purp. *scrupul. unum*
Adipis suill. *unc. semis.*
M. f. unguentum.
S. Adplicandum bis de die plagae ex vesicante relictae.

Cum olei Hyoscyami uncia una, et extracti Conii macul. drachma dimidia, pro unguenti neapol. drachmis tribus, in rheumatismo inflammatorio fixo, bis de die inungebatur magnitudine nucis avellanae. In casibus similibus partes unctae stupa cannabina involvebantur.

Emplastrum mercuriale.

In iisdem fere morborum formis locum habuit, ac mercuriale unguentum, et pro hoc noctis tempore suspenso, adplicabatur, e. gr. in syphilide universali cum doloribus osteocopis:

Rec. Empl. mercur. *unc. semis.*
Extende supra pannum lineum.
S. Adplicetur ad tumorem, cursu noctis.

Frequentissimum vero connubium celebrabatur cum emplastro Cicutae, in tumoribus, quibus interdiu cataplasmata apposita essent.

Hydrargyrum oxydulatum nigrum purum, Mercurius niger Moscati.

Raro adhibebatur. Occurrebat pulvis, sed forma pilularis praeplacuit a grano, ad scrupulum unum; ita in phthisi complicata cum syphilide:

Rec. Mercurii nigri Moscati *scrupul. semis*
Extr. Dulcamar. *scrupul. unum.*
F. l. a. pilulae quindecim.
Consperg. pulvere rad. Liquiritiae.
D. S. Omni bihorio pil. una.

Hydrargyrum oxydatum rubrum, Mercurius praecipitatus ruber.

Pro usu interno massae pilulari et pulveri cum saccharo ad quartam grani partem, imo addebatur ad granum unum. In rheumatismo chronico ob syphilidem inveteratam:

Rec. Mercurii praecipitati rubri *gran. unum*
Aethiop. antimon. *grana octo*
Extr. Aconiti *grana sex*
Sacch. albi *drachm. unam et semis.*
M. f. pulv. aequabilis, div. in dos. Nr. octo.
D. S. Omni bihorio pulv. unus.

Unguentum, e. gr. in syphilide pustulosa faciei, in parte ab eruptione devastata:

Rec. Mercur. praec. rubri *scrup. unum*
Axung. porci *drachm. tres.*
M. exactiss. in unguentum.
D. S. Inungendum magnitudine nucis avellanae.

Pro varia partium inungendarum sensibilitate diversa requirebatur Mercurium inter et adipem animalem ratio, ita ut in ulceribus syphiliticis penis modo sumerentur grana quatuor aut sex Mercurii pro adipis drachmis tribus, uncia semis.

In scrofula inveterata, ulcere praesente ex tumore aperto saniosum humorem plorante:

Rec. Butyri Cacao *unc. semis*
Mercurii praecip. rubri *drachm. semis.*
M. exactiss. in unguent.
D. S. Adplicetur ulceribus, munitum emplastro adhaesivo.

Cum pulvere frondum Sabinae, in ulcere venereo, et ad destruenda condylomata:

Rec. Mercurii praec. rubri
Pulv. frond. Sabin. *āā scrupul. duos*
Axung. porci *drachm. duas.*
M. f. l. a. unguentum.
D. S. Inungenda ulcera (aut condylomata) magnitudine pisi, bis in die.

Hydrargyrum oxydulatum muriaticum, Hydrargyrum muriaticum mite, Calomel.

Interne in pulvere, rarius in pilulis, dosi singulari secundum scopum adtingendum, a grano dimidio ad grana quatuor, unacum aliis substantiis; scopo alvum evacuandi:

Rec. Calomel. laevig. *grana octo*
Sacch. albi *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. duas.
D. S. Horam interpolando sumantur.

Ordinabantur de die grana duodecim, in febri nervosa cum encephalitide; grana octo in meningitide peripherica; grana viginti quatuor intra triduum, in hepatitide peritonaea cum tumore ad superficiem hepatis, post venaesectionem, hirudines, et diaphoretica; grana octo, in pulveres sex divisa, de die, in

verminosis febribus; vel grana quatuor aut sex, in doses quatuor; in metastasi ad cerebrum grana decem in doses quinque omni hora sumebantur; in syphilide locali grana sex, in doses sex, omni hora. Calomelanos usus in synochis gastricis verminosis magis circumscribi debuit, primis earum curae diebus oleum Ricini conveniebat; adhibebatur Mercurius dulcis in emphraxibus viscerum abdominalium; in pyo-blennorrhoea vesicogenitali, quum in membranam vesicae mucosam inque totam diathesin lymphaticam debuisset agi; in notaeo-myelitide lumbari, infracta diathesi phlogistica; in metritide cum oophoritide; in laryngo-tracheitide lenta; in ulcere syphilitico cum bubone sympathico; in pneumo-bronchitide; in erysipelate lymphatico; in colitide lenta, qua purgans; in ascite; in ephidrosi chronica cum adenophymate colli, Calomel experimenti gratia dabatur, quia est inimicus sudori, vermium vero aderat suspicio. A paucis Calomelanos granis salivatio exorta est, quum econtra syphilitici dosim majorem (ad grana usque 66) tolerassent absque incommodo.

Sequentia celebrabantur connubia. Cum Jalappa, scopo purgante, in cephalea sclero-meningea. Cum Rheo, scopo dicto, in scrofula; in febre pituitosa cum syphilide (Rheum ad dr. ½, Calomel ad gr. 6 de die); in anasarca ex hepato-splenemphraxi; in hac sola, hypochondriis valde sensibilibus (Calomel. gr. 10, pulv. Rhei scrup. 1, div. in dos. 6, cum signatura: omni hora pulvis 1); in febri gastrico-verminosa (Calomel. gr. 8, pulv. Rhei gr. 16, div. in dos. 4, cum sign.: omni bih. pulvis 1).

In leucorrhoea a statu pituitoso pendente:

Rec. Pulv. rad. Rhei chinens. *drachm. semis*
Calomel. laevig. *grana octo*
Sacch. alb. *drachm. duas.*
M. div. in dos. aeq. Nr. octo.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

Cum Gummi Guttae et aliis drasticis, licet raro, ad pellendos vermes. Cum Scilla et Digitali aliisque diureticis, in hydrope. Cum Digitali, in pleuropneumonia rheumatico-catarrhali, decrescente morbo; cum sulfure aurato Antimonii, in hepatemphraxi, in rheumatismo articulari; itidem cum Kermete

minerali, in phlogosibus, venaesectione fractis. Cum Conio maculato, in ictero irritativo, ob stases hepatis capillares; in oophoritide lenta, febre jam abacta, perstante adhuc magna ovarii sensibilitate:

Rec. Calomel. laevig. *grana sex*
Extr. Conii macul. *grana quatuor*
— Taraxaci q. s. ut f. pil. decem.
Consperg. pulvere Liquiritiae.
D. S. Omni bihorio pilula una.

Simili modo praescribebantur pilulae cum Gummi-resina Ammoniae, et extracto Myrrhae, in leucorrhoea a statu pituitoso pendente. Cum pulvere Doweri et Aconito, in rheumatismo tendente in transudationem, morbo jam per aliquod tempus in statu perstante:

Rec. Sulfur. aur. Antimon.
Calomel. laevig.
Extr. Aconiti *āā grana quatuor*
— Taraxaci *scrupul. unum*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil. XX.
Consperg. pulv. eodem.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Cum Camphora, in hepatitide typhoidea:

Rec. Calomel. laevig.
Camphor. ras. *āā grana sex*
Sacch. alb. *drachm. duas.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. sex.
D. S. Omni bihorio pulv. unus.

Cum Opio, in diarrhoea et dysenteria, cum aphthis:

Rec. Calomel. laevig.
Opii puri *āā grana quatuor*
Sacch. alb. *scrupul. quatuor.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. octo.
D. S. Uti supra.

Cum acetate Morphii, in ictero sympathico, ab ictibus capitis, in lactante:

Rec. Calomel. laevig *grana decem*
Acetat. Morphii *gran. semis*
Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. quinque.
D. S. Omni tertia hora pulvis unus.

Primo jam hujus curae die exorta est febricula, quae cum ad sudationem duxerit, critica esse videbatur; unde et altero die curae exanthematis evolutio urticariae analogi, sed nec prurientis nec adeo inconstantis, ab urticaria itaque distinguendi, et praesente etiam odontalgia et subsequis stomacace et ptyalismo, idiosyncrasiae erga assumtum Mercurium potissimum attribuendi.

Cum Belladonna (gr. 3) et Calomele (gr. 6), in ictero irritativo, et cum Ipecacuanha (gr. 6 et gr. 4, in dos. 6.), in metastasi ad cerebrum uniebatur.

Pulvis, externe quoque praescribebatur, in febri rheumatico-catarrhali, symptomatibus gravibus, cephalea rebelli, coryza et muco spisso in naribus coagulato:

Rec. Pulv. Calomel. *grana quindecim*
Sacch. alb. *drachm. duas.*
M. exactiss. f. pulvis sternutatorius.
D. S. Saepius de die in nares attrahatur (penes vapores calidos ex Malva).

Pulvis alterans Plummeri.

Locum habuit in herpete, lichene, prorigine, erysipelate lymphatico, catarrheumate, pneumo-bronchitide, ad moliendam anacatharsin, etc.

Hydrargyrum muriaticum corrosivum, Mercurius sublimatus corrosivus.

Praeplacuit forma pilularis a gr. $^1/_3$, $^1/_2$ ad grana 3, 4 de die adscendendo, in syphilide universali inveterata, ejusque diversis larvis:

Rec. Mercurii sublimat. corros. *grana duo*
solve in Spirit. Vini s. q. et f. cum
Micae panis albi *scrupul. uno*
Sacchari q. s. massa bene subacta pilulae decem.
Consperg. pulvere Amyli.
D. S. Omni mane et vespere pilula una.

Rec. Mercurii sublimat. corros. *granum unum*
solve in:
Spirit. Vini q. s.

Malaxa cum:
Micae panis albi et
Sacch. albi āā q. s. ut f. pilulae decem.
Consperg. pulvere Liquiritiae.
D. S. Uti supra.

Rec. Mercurii sublimati corros. *gran. unum*
Solve in s. q. Alcoholis, cui adde:
Micae panis albi *scrupul. unum*
Sacch. albi q. s. ut f. pil. sexdecim.
Consperg. pulvere semin. Lycopodii.
D. S. Quater de die pilulae duae; vel pilulae duae ante meridiem, et tres post meridiem.

Syphiliticis, praesertim inveterata ossium lue laborantibus, cum et sine tophis ulcereque vario Mercurius sublim. corros. cauta manu porrectus profuit, et paregoricum vespertinum ostealgiae nocturnae prospexit. Hinc inde et inunctoria cura combinabatur. Salivatio saepius jam tertio ex Sublimati usu die, sed suspenso remedio illo, et in censum vocatis diaphoreticis et alvum laxantibus, praecipue vero extracto Scopolinae, intra tres communiter dies profligabatur. In diathesi scorbutica circumspectio maxima, et non sine debita praeparatione et tutela adhibebatur. Vide *Hydrargyri Cyanuretum*, quod in tali casu eligebatur.

Externe. Lotiones instituebantur ex Sublimati corrosivi solutione in impetigine scabiosa cum syphilide.

Aqua phagedaenica,

s. Liquor mercurialis Ph. Austr.

In osteadenitide scrofulosa cum zostere ligulari;

Rec. Aq. destill. *unc. octo*
— phagedaenicae *unc. duas.*
D. S. Pro usu externo.

Hydrargyrum ammoniato-muriaticum, s. Mercurius praecipitatus albus.

Externe nonnisi cum pinguedine animali in unguentum redactum ad drachmam semis, vel unam ex uncia una axungiae porcinae. In herpete squamoso, papuloso:

Rec. Mercur. praecipit. albi *drachm. semis*
Axung. porci *unc. semis.*
M. exacte f unguentum.
D. S. Magnitudine nucis avellanae bis in die inungendum.

Unguentum *Graefeanum*, quod e Mercurii praecipitati albi scrupulo, fl. Sulfuris drachma una et semis, et axungiae porci recentis drachmis confectum, in scabie sicca cum sublatente syphilide, penes balnea simplicia, saponata, etc., cum fructu adhibebatur.

Cyanuretum Hydrargyri.

Interne. Pulvis ad granum unum et semis, duove pro nychthemero:

Rec. Cyanureti Hydrargyri *gran. unum*
Sacch. albi *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. sex.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

In syphilide universali cum diathesi scorbutica hocce praeparatum seligebatur, sed a granis jam perpaucis, duobus utplurimum salivatio, et permolesta ulcera in conspectum veniebant: symptomata, quae unacum syphilide, extracti Scopolinae ope auferebantur. Fuit casus proctaedo-blennorrhoeae suspectae in individuo hysterico. A granis jam paucis cyanureti Hydrargyri sensim assumtis vomitus, diarrhoea et dolores oris foetentis surrexere: quae cuncta symptomata remedii illius sepositione et emollientium ac diapnoicorum usu paullopost fugabantur, sed die 20. curae etiam blennorrhoea tum analis, tum genitalis perfecte siluit.

Deutojoduretum Hydrargyri.

In lue medorrhoica cum arthritide rheumatica, post usum Guajaci, Sarsaparillae, hydriodatis Potassae, olei jecoris Aselli, post adplicationem quoque Electricitatis, glandulis colli volumine quidem minoribus, sed duris semper persistentibus. Ordinabatur gr. $\frac{1}{4}$ pro die, dosim sensim ad gr. $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$ augendo. Sanatio inde obtinebatur; sed fatendum, externe salem

culinarem pro lotione et emplastrum Cicutae et Galbani crocati, et quum glandulae sese inflammassent, hirudines et cataplasmata in usum quoque vocata fuisse.

Alter adhuc tractabatur casus blennorrhoeae syphiliticae ad luem universalem vergentis, non bene curatae, ovario etiam in passionem ducto, ex tumore sub attactu patentem:

Rec. Deutojodureti Hydrargyri *gran. semis*
Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. sex.
D. S. Mane et vesperi pulvis unus.

Et posito supra regionem ovarii sinistri, emplastro vesicante:

Rec. Deutojoduret. Hydrargyri *gran. semis*
Adipis suilli *unc. semis.*
M. exactiss. f. unguent.
D. S. Inungatur plaga ex vesicante relicta, magnitudine nucis, mane et vesperi.

Fluor albus continuat, dolores vagantur per abdomen (glandulae mesaraicae et peritonaeum adfecta erant). Tunc emplastrum Euphorbii adplicabatur, ex quo sanatio obtinuit.

Hyoscyamus niger.

Interne. *Extractum*, in pulvere, pilulis, mixturis, etc., a gr. $\frac{1}{2}$ — 3 — 6 — 8 de die.

Qua paregoricum, e. g. in syphilide, cum ostealgia nocturna:

Rec. Extr. Hyoscyami nigri *grana quinque*
Magnes. carb. *scrupul. unum*
Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. quinque.
D. S. Vesperi, omni hora pulvis unus, donec somnum capiat.

Alias quoque ad majorem dosim praescribebatur.

Cum sulfure aurato Antimonii, in catarrho bronchiali, catarrheumate thoracis febrili, rheumatismo articulari febrili, fracta vero pro maxima parte phlogistica diathesi, extractum Hyoscyami expectorationem eminenter promovit, tussim domavit, procreatis sudoribus lenivit dolores.

Eodem modo cum Kermete minerali, in bronchitide catarrhali; cum Magnesia et Nitro, in tabe dorsuali; in eodem casu, cum Camphora; cum sulfure aur. Antimonii, et pulvere Digital. purp., in haemoptoë pulmonali activa:

Rec. Extr. Hyoscyami nigri *grana sex*
Kermet. mineral. *grana quatuor*
Sacch. Lactis *drachm. unam et semis.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. Nr. octo.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

Pilulae, in herpete papuloso, ad somnum conciliandum, ne vires aegri labefierent, qua pharmacon mite:

Rec. Extr. Hyoscyami nigri *grana tria*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. Pilulae tres.
D. S. Sumantur vesperi.

Eodem modo praescribebantur pilulae cum sulfure aur. Antimonii, cum Camphora, etc.

Addebatur aliis decoctis, infusis, mixturis oleosis; e. g. in catarrho chronico:

Rec. Lichen. islandici *drachm. duas*
Coq. c. s. q. aq. f. p. ¼ h.
Col. unc. octo adde:
Extr. Hyoscyami *grana quatuor* (serius gr. 8)
Syr. Diacodii *unc. semis.*
D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Ex infuso fl. Chamomillae, in hysteriasi; ex mixtura oleosa cum oleo Ricini, in enteralgia flatulenta; in emulsione cannabina, in haematuria renali; in emulsione amygdalina, in adfectionibus pectoris febrilibus.

Linctus, cum syrupo Althaeae, vel mucilagine g. arabici; in phthisi tuberculosa:

Rec. Syrupi Althaeae *unc. unam.*
Extr. Hyoscyami *grana sex*
M. exacte, f. linctus.
D. S. Sumatur paulatim.

Rec. Mucilag. g. arab. *unc. tres*
Extr. Hyoscyami *grana tria*
Syr. Althaeae *unc. unam.*
M. D. S. Sumat ad parva cochl., de nocte.

Externe, forma linimenti, in otalgia hemiplegica:

Rec. Extr. Hyoscyami *scrup. semis.*
Olei Amygdal. dulc. rec. pr. *unc. unam.*
M. f. linimentum.
D. S. Auri imponendum ope gossypii.

Addebatur extractum Hyoscyami unguento neapolitano, cum extracto Belladonnae, in haematuria renali; ejusdem tantillum sulfati Chininae pro cura endermatica.

Herba pro cataplasmate, fomentationibus, etc. coquebatur cum seminibus Lini et speciebus emollientibus, cum, vel sine lacte, in haematuria renali:

Rec. Semin. Lini *libr. duas*
Herb. Hyoscyami nigri *unc. duas*
Lactis vaccini q. s. ut coquatur in pultem.
D. S. Adplicetur tepide loco adfecto, renovando saepius de die.

Eodem modo cum herba Malvae, et farina secalina, ex partibus anaticis.

Vel pro collutorio, in salivatione, quae diapnoicis non cessit:

Rec. Herb. Meliss. *unc. unam*
— Hyoscyami *drachm. unam*
Coque c. s. q. aq. p. ¼ h. ad col. libr. unius.
D. S. Collutorium.

Pro injectione, in metroperitonitide puerperali:

Rec. Herb. Malvae *unc. tres*
— Hyoscyami nigri *drachm. unam*
Coque c. s. q. aq. c. p. ¼ h.
Col. librar. duarum detur.
S. Pro injectione in vaginam.

Ope cucuphae ex herba Hyoscyami leniebantur dolores in hemicrania rheumatica, praemissis vero derivationibus; cum pulvere herbae Hyoscyami cataplasmata et emplastra conspergebantur.

Oleum coctum Hyoscyami, in otalgia:

Rec. Olei cocti Hyoscyami *drachm. duas.*
S. Instilletur guttatim auri (vel ope gossypii auri immittebatur, in odontalgia).

Cum eodem ungebatur genu dolens in gastro - arthralgia nervosa afebrili. Adplicabatur methodo endermatica, in nevro-rheumate crurali, vesicante ad locum doloris posito:

Rec. Olei cocti Hyoscyami *unc. semis.*
S. Unctum frustum panni linei imponatur plagae vesicantis.

Cum oleo cocto Hyoscyami solo, vel cum hoc et mucilagine sem. Cydoniorum tumores haemorrhoidales dolentes illiniebantur.

Linimentum cum extracto Conii macul., in entero-peritonitide rheumatica-biliosa, abdomine voluminoso, dolente:

Rec. Olei cocti Hyoscyami *unc. unam*
solve intus:
Extr. Conii macul. *drachm. unam.*
M. D. S. Inungatur regio hypochondrii dextri.

Cum olei cocti Hyoscyami uncia $1/2$, et extracti Belladonnae granis 2, in ictero febrili, hypochondrium tensum mane et vesperi inungebatur; cum oleo Olivarum (ex $\bar{a}\bar{a}$ part. aeq.), in scroto inflammato; cum linimento saponato-camphorato (unc. $1/2$, et olei cocti Hyosc. dr. 3), in podosteritide scrofulosa; in enteralgia flatulenta (linim. sap.-camph. dr. 2., olei c. H. unc. $1/2$); cum linimento saponato-camphorato (dr. 6.), et Opii tinctura simplici (dr. 2, et olei H. unc. $1/2$), in anevrysmate aortae thoracicae; cum tinctura Opii simplici (dr. 1, et olei c. H. unc. 1), in eodem casu; cum unguento Hydrargyri cinereo (dr. 3), et laudani liq. Sydenh. (dr. 1, et olei c. H. unc. 1), in podosteritide scrofulosa; unguentum, in eodem casu (cum ung. neapol. libr. 2, et olei H. unc. 1); cum linimento saponato-camphorato (et oleo H. ex $\bar{a}\bar{a}$ unc. $1/2$), et extracto Conii macul. (dr. 1), in hepato-splenemphraxi.

Ichthyocolla.

Vide *Tragacantha*, quacum uniebatur.

Ipecacuanha.

Pulvis ad vomitum producendum, ad grana decem, ad viginti quatuor praescribebatur, cui ad virtutem ipsius emeticam augendam, Tartari emetici granum addebatur. Dabatur cum

emolumento, in febri quartana, ad quartum paroxysmum praecavendum (tertio jam leviore facto per Tartarum emeticum); scopo et methodo confundente:

Rec. Pulv. rad. Ipecacuanh. *scrupul. unum*
Sacch. albi *drachm. semis.*
M. div. in dos. aeq. Nr. duo.
D. S. Sumat pulverem unum circa horam decimam, et alterum post dimidiam horam.

In febri tertiana cum nota gastrica-biliosa, quum compertum esset, febres vernales methodo saepe confundente sanari:

Rec. Pulv. rad. Ipecacuanh. *scrupul. semis*
Tart. emet. *gran. unum*
Sacch. albi *drachm. unam.*
M. f. pulv. aeq div. in dos. tres.
D. S. Pulvis unus omni quarta hora, superbibendo decoctum Hordei.

Cum Opio, qua pulvis Doweri, e. gr. qua paregoricum; ex partibus aequalibus, nec ne:

Rec. Pulv. rad. Ipecacuanh.
Opii puri *āā grana duo*
Sacch. albi *drachm. unam et semis.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. sex.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

Cum sulfure aurato Antimonii, et Opio, in rheumate chronico; cum Arcano duplicato et Opio, in rheumatismo articulari in helminthiaco; in gastralgia nervosa:

Rec. Pulv. rad. Ipecacuanh.
Sulf. aur. Antimonii *āā grana tria*
Opii puri *grana duo*
Sacch. albi *drachm. duas.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. octo.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

Addebatur huic formulae Calomel laevigatum, in pneumonia catarrhali, sed fracta jam phlogosi:

Rec. Pulv. rad. Ipecacuanh
Opii puri *āā grana tria*
Arcani dupl. *drachm. duas.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. octo.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

Cum Calomele, in metastasi ad cerebrum, in statu febris nervoso cum hypostasi pulm. (ex $\bar{a}\bar{a}$ gr. 8, vel ex gr. 6 Ipecac. et gr. 4 Calomel. divis. in dos. 6); cum Camphora, qua expectorans, penes usum decocti Senegae, etc.:

Rec. Pulv. rad. Ipecacuanh. *grana decem*
Camphor. ras. *grana sex*
Sacch. alb. *drachm. unam et semis.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. sex.
D. S. Omni bihorio, alternatim cum decocto, pulv. un.

Secundum necessitatem addebatur extractum Aconiti, Aethiops antimon., sulfas Chininae.

Infusum, a granis decem, ad scrupulos duos, cum aquae comm. fervidae unciis quatuor sexve cochleatim sumendum; e. gr. in febribus ex statu inflammatorio in nervosum transeuntibus, nec non in delirio tremente potatorum:

Rec. Rad. Ipecacuanh. rud. tus. *grana sexdecim*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. $\frac{1}{4}$ h. v. cl.
Col. unc. sex adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Cum Tartaro emetico, et Cremore Tartari, in febri gastrico-biliosa ad adynamiam proclivi:

Rec. Rad. Ipecacuanh. rud. tus. *gran. sexdecim*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. $\frac{1}{4}$ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Tartari emetici *gran. unum*
Cremor. Tartari *unc. unam*
Syr. simpl. *unc. semis.*
D. S. Omni bihor. cochl. cib. tria.

Unacum infuso Rhei ex $\bar{a}\bar{a}$ granis xv, ad col. unc. 8, in diarrhoea pellagrosa; cum infusis Chamomillae, Melissae, cort. Aurant., etc. Addebatur infuso Camphora, Sal ammoniacus, in febre typhode pneumonitica, in febri gastrico-biliosa cum leucorrhoea, lingua et cuti aridis, doloribus in ilei regione, cum pulsu parvo, celeri; in bronchitide psorica cum peripneumonia succedanea in decursum lentum vergente, cum sputis nullis, tussi perrara, etc.

Rec. Rad. Ipecacuanh. r. t. *grana quindecim*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Sal. ammon. depur. *drachm. semis*
Extr. Gramin. liquid. *drachm. duas*
Syr. simpl. *unc. duas.*
D. S. Omni hora vasc. coff. semis.

Cum Acido sulfurico diluto, in febre typhoidea enterico-pneumonica; in typho intestinali cum exanthemate miliari:

Rec. Rad. Ipecacuanh. r. t. *scrupul. unum*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Acidi sulf. dil. *scrupul. unum*
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Vel idem infusum ex granis XXV, ad Col. unc. 6, cum Acidi sulfurici drachma ½.

Cum Alumine, in eodem ipso casu typhi intestinalis:

Rec. Infusi Ipecacuanh. ex *gran. viginti quinque* l. a. parati *unc. sex*
adde:
Aluminis crudi *drachm. semis*
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

Ex decocto Tamarindorum, in febre gastrico-nervosa:

Rec. Fruct. Tamarind. enucl. *unc. duas*
Coq. c. s. q. aq. c. p. ¼ h.
Sub finem coctionis infunde:
Rad. Ipecacuanh. r. t. *grana sexdecim.*
Stent in infusione calida per ¼ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Syr. Cichor. c. Rheo *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. tria.

Iris florentina.

Adhibebatur pulvis ad conspergendas pilulas.

Jacea,
s. Viola tricolor.

Decoctum ex drachmis duabus, vel semiuncia paratum, locum habuit in impetiginibus scrofulosis, praesertim in diversis tineae formis:

Rec. Herb. Jaceae *drachm. tres*
Coq. c. s. q. aq. c. p. $\frac{1}{4}$ h.
Col. unc. decem adde:
    Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni hora vascul. coff. semis.

Praescribebatur quoque unacum Sarsaparilla. Penes usum Jaceae adhibebantur Bardana, Dulcamara, Aethiops antimonialis, etc.

Jalapa.

Pulvis, pilulae, electuarium. Dosis refracta a granis sex ad octo, plenaria ad scrupulos duos. *Resina* ipsius etiam iisdem formis, sed dosi multo minori. Locum habuit hocce remedium, utplurimum cum aliis consimilibus, in verminosis febribus, in hepato-splenemphraxi anaemorrhoide, etc.; contra quas morborum formas mitiora incassum pugnarunt.

Remedium alvum purgans:

Rec. Pulv. rad. Jalapae *scrupul. unum*
    Calomel. laevig. *grana sex*
    Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. tres.
D. S. Sumantur intra tres horas.

In helminthiasi cum congestione menstruorum chlorotica, chlorosi jam emendata:

Rec. Resinae Jalapae
    Gummi Guttae *āā grana quindecim*
        — resin. Asae foet.
    Extr. Taraxaci *āā drachm. semis*
    Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil XXX.
Consperg. eod. pulvere.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Jodum,
s. Jodium.

Interne. Linctus, in pneumophthisi tuberculari in secundo stadio, penes usum decocti Sphaerococci confervoidis:

Rec. Jodi purissimi *gran. semis*
Sacch. albi *scrupul. duos*
Mucilag. g. arab. *drachm. unam.*
M. f. linctus.
D. ad lagenulam bene munitam.
S. Frictionis ope adplicetur margini dextro et sinistro linguae; consumendo totum in vicibus quatuor de die.

Hydriodas Lixivae,
s. Kali hydriodicum.

Interne. Pulvis et pilulae a grano uno ad quatuor de die; in oophoritide chronica:

Rec. Kali hydriodici *grana duo*
Gummi-resin. Ammon. *drachm. unam*
Extr. Conii macul. *scrupul. unum.*
M. f. l. a. pilulae XXX.
Consperg. pulv. Liquirit.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

In eodem morbo Kali hydriodicum, dein forma pulveris dosi gradatim aucta ad grana sex intra nychthemeron propinabatur; pariter etiam in hydrope ascite.

In metremphraxi, cum vermibus:

Rec. Kali hydriodici *grana quatuor*
Extr. Taraxaci *drachm. semis*
Pulv. rad. Liquirit. q. s. ut f. pil. XII.
Consperg. eodem pulvere.
D. S. Omni bihorio pilula una.

Unguentum, in individuo scrofuloso, glandulis colli tumidis:

Rec. Kali hydriodici *scrupulum unum*
Axung. porci *unc. unam.*
M. exacte, f. unguent.
D. S. Mane et vesperi inungendum magnitudine nucis avellanae.

Ex drachma semis autem paratum, inungebatur regioni hypogastricae, in metremphraxi cum vermibus.

In similium morborum casibus, glandularum scilicet hypertrophicarum, *endermatica* arrisit methodus, adplicandi Lixivam hydriodicam:

Rec. Lixivae hydriodicae *scrupul. unum*
Axung. rec. porci *drachm. tres.*
M. f. unguentum.
D. S. Adplicetur ad locum vesicantis.

Tinctura Jodii, seu Jodinae inserviebat inhalationibus, in laryngo-pneumophthisi tuberculari, moderata vero per methodum antiphlogisticam:

Rec. Tinctur. Jodii *drachm. unam.*
S. Pro inhalationibus.

Juniperus.

Interne, infusum baccarum Juniperi, in ascite diffuso:

Rec. Baccar. Juniperi *drachm. sex*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. libr. unius adde:
Oxymell. squill. *unc. unam.*
D. S. Epicratice.

Rec. Baccar. Juniperi *unc. semis.*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. decem adde:
Acetat. Lixivae solut. *drachm. tres*
Oxymell. squill. *unc. unam*
D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Oleum Juniperi, in linimentis, et unguentis; sed etiam interne, in ascite et anasarca, praesente debilitate summa:

Rec. Olei essentialis Juniperi *scrupul. semis*
solve in:
Spirit. Aetheris sulfurici *drachm. semis.*
D. S. Sumat guttas quinque saccharo instillatas, omni dimidia hora.

In linimentis et unguentis occurrit oleum destill. Juniperi; in hydrope universali:

Rec. Unguenti Hydrarg. cinerei *drachm. duas*
Olei destill. Juniperi *drachm. unam*
Adipis suilli *drachm. quinque.*
M. f. unguentum.
D. S. Inungendum abdomen.

Ingrediebatur quandoque hoc unguentum linimentum saponato-camphoratum.

Roob Juniperi, ad unciam unam, in decoctis, mixturis.

Spiritus Juniperi, ad drachm. duas, unciam semis, unam, in decoctis, mixturis, etc. In hydrope ascite atonico:

Rec. Aq. font. *libr. duas*
Spirit. Juniperi *unc. unam*
Sacch. albi *unc. duas.*
M. D. S. Hauriendum pro libitu.

Ad drachmas duas, unciam semis addebatur decocto Pyrolae umbellatae.

Pulvis baccarum Juniperi, ad q. s. in pilulis conficiendis ex sulfate Ferri, extracto Digitalis purp. et extracto Dulcamarae.

Lixiva fusa,
s. Lapis causticus Ph. A.

Externe. Solutio, ad medicationem fonticuli, propter ejus torporem:

Rec. Kali caustici *scrupul. unum*
solve in:
Aq. destill. *unc. una et semis.*
D. in vase probe obturato.
S. Externe.

Lotiones quoque ope solutionis aquosae, drachmam semis ad drachmas duas Lixivae causticae continentis, instituebantur ad regiones a miliaribus crystallinis obsessas; post lotiones vero repetitas eruperunt vesiculae confertae, et decursus brevior reddebatur.

Acetas Lixivae solutus,
s. Liquor Terrae foliatae Tartari Ph. A.

A drachma una, ad duas decoctis addebatur solventibus et eccoproticis; e. gr. in infarctibus et hydrope:

Rec. Rad. quinque aperientium *unc. unam*
Coque c. s. q. aq. c. p. ¼ h.
Col. librae unius adde:
Acetat. Lixiv. solut. *drachm. duas.*
D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

In febrium diversarum stadio critico:

Rec. Decocti Gramin. ex *unc. duabus* parati *unc. decem*
Acetatis Lixivae solut. *drachm. duas*
— Ammon. solut. *drachm. unam*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. tria.

In morbis rheumaticis crisi vicinis:

Rec. Flor. Tiliae *unc. semis*
Inf. s. q. aq. ferv. p. ¼ h.
Col. unc. decem adde:
Liquor. Terrae fol. Tart. *drachm. duas*
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Eodem modo praescribebatur ex decocto Tamarindorum, Ononidis spinosae, ex infuso Digitalis purpureae.

Sulfas Lixivae, Arcanum duplicatum Ph. A.

Ad alvum reserandam Arcanum dupl. solum raro in usu erat, sed potius cum Calomele, Jalapa; dein in decoctis solventibus ad drachm. duas, vel unciam unam exhibebatur; obvenit quoque in electuario anthelminthico, in pulveribus cum Opio et Ipecacuanha, etc.

Lac vaccinum recens.

Pro diaeta salubri ordinabatur in pellagra lac solum; in hepatemphraxi, ad partes anaticas cum aquis soteriis; in cachexiis scrofulosis, cum aqua quadam destillata praedita principio quodam volatili; sic et in syphiliticis, enterophthisi ulcerosa, pneumophthisi tuberculari ulcerante, diarrhoea pellagrosa, isthmitide phlegmonosa catarrhosa, herpete papuloso laborantibus. In angina faucium aposyphilitica, cum suspicione tuberculorum potus erant sequentes duo:

Rec. Lactis vaccini rec. *unc. duas.*
Misce cum decocto Dulcamarae.
D. S. Epicratice.

Rec. Decocti Hordei *libr. duas*
Lactis vaccini rec. *unc. duas*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Potus.

In laryngo-pneumophthisi tuberculari:

Rec. Lactis vaccini rec. *libr. duas*
Aq. Calcis rec. paratae *unc. duas.*
M. D. S. Epicratice.

Vomitus in gastro-scleromate ad pylorum et pancreas, sub diaeta lactea, quam pellagrosus praediligebat, adventabat minus crebro.

Externe. Instillatio Lactis tepidi cum aqua destillata, in otitide. Enema (ad libr. 1), in febri verminosa, in taeniae solii casu.

Laurocerasus.

Interne. Ex emulsionibus, decoctis et infusis, a drachmis duabus, ad unciam semis ordinabatur *aqua destillata Laurocerasi*, et quidem e. gr. in haematuria renali menstruationis et haemorrhoidum fluxui vicaria; in angina faucium ulcerosa apo-syphilitica cum tuberculorum suspicione:

Rec. Amygdal. dulc. excort. *unc. unam*
Tere in mortario vitreo, sensim sensimque affunde:
Aq. commun. *libram unam.*
F. l. a. emulsio, Col. adde:
Aq. destill. Laurocerasi *drachm. duas*
Mucilag. g. arab.
Sacch. albi *āā unc. unam.*
D. S. Omni dimidia hora vasc. coff. unum.

In hysteriasi:

Rec. Fol. Digital. purp. *grana viginti quinque*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. $\frac{1}{4}$ h. v. cl.
Col. refrig. unc. octo adde:
Aq. destill. Laurocerasi *drachm. duas*
Acetat. Lixiv. solut. *drachm. unam et semis*
Oxymell. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio cochl. cib. tria.

Eodem modo ex decoctis Graminis, Althaeae, Lichenis, Sphaerococci, Scolopendrii, Senegae, ex infusis Chamomillae, Melissae, etc. subministrabatur; et quidem per eminentiam in hyperemesi ex epigastralgia, cardiopalmo, hypertrophia cordis, insultibus cardialgicis ex cordis vitiis, in catarrhis viarum respirationis suspectis, haemoptysi activa, haematochesi inflammatoria, haematuria renali, nephritide, nephro-cystitide, hysteriasi, etc.

In cephalea rheumatica in hysterica:

Rec. Aq. destill. Laurocerasi *drachm. tres*
Extr. Hyoscyami *grana sex.*
M. D. S. Guttae decem momento doloris exacerbati.

Linctus:

Rec. Mucilag. g. arab.
Syr. Althaeae *āā unc. unam*
Aq. dest. Laurocerasi *drachm. unam.*
M. f. linctus.
D. S. Ad parva cochlearia.

Externe. Collyrium:

Rec. Aq. destill. comm. *unc. sex*
— — Laurocerasi *drachm. sex*
Mucilag. g. arab. *unc. duas.*
M. D. S. Collyrium.

In metrorrhagia activa, inflammatoria, fluxum excipiente erethismo; in blennorrhagia colpo-cystica:

Rec. Herb. Malvae *unc. duas*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. ¼ h.
Col. refrig. unc. decem adde:
Aq. destill. Lauroceras. *unc. semis.*
D. S. Pro injectione in vaginam quatuor vicibus in die.

Lavandula.

Oleum destillatum Lavandulae. Vide *Belladonna.*

Lichen islandicus.

Decoctum, vel et infuso-decoctum ex uncia semis, vel integra, ad col. librae unius; in aphthis dysentericis:

Rec. Lichen. islandici *unc. unam*
F. l. a. infuso-decoctum c. aq. f. p. $^1/_2$ h.
Col. unc. decem adde:
Extr. Trifol. fibr. *drachm. unam*
— Opii aquosi *grana duo.*
M. D. S. Omni bihor. vascul. coff. semis.

Rec. Lichen. island.
Caul. Dulcamar. *āā drachm. tres*
Consc. coq. c. s. q. aq. c. p. $^1/_4$ h.
Col. refr. unc. octo adde:
Aq. dest. Lauroceras. *drachm. tres.*
D. S. Omni bihorio cochl. cib. tria.

Simili modo paratur decoctum Lichenis, unacum Althaea, Colombo, Senega, Cortice Peruviano, Sarsaparilla, etc.

Decocto-infusum cum Melissa, in hepatitide typhoidea:

Rec. Lichen. island. *unc. semis*
Coque c. s. q. aq. c. p. $^1/_4$ h.
Sub finem coctionis infunde:
Herb. Melissae *drachm. tres*
Stent in digestione p. $^1/_4$ h. v. cl.
Col. unc. decem detur.
S. Omni bihorio vascul. coff. duo.

Lichenis usus utplurimum firmandae convalescentiae ex scrofula tabifica, tabe mesenterica, aliisque morbis consumtivis, pneumo-bronchitide bene prospexit. Lichen islandicus, vi cryptogamarum plantarum medicatrice praeditus praesidium erat haud spernendum in phthisi initiata, praeprimis si phthiseos initia non derivarentur a manifesto morbi ingressu cum phlogosi latente juncto, verum si ad ejusdem prodroma, ad tubercula pauca, minima mollia, cruda, qualia habitui phthisico, individuo catarrhis frequenter obnoxio sunt familiaria, sola limitantur. Praesente vero congestione aut inflammatione ad pectus, nusquam in auxilium vocabatur Lichen. Vide *Scolopendrium*, *Sphaerococcus.*

Lichenina.

Experientia facta fuit cum Lichenina in quotidianis quibusdam intermittentibus, scopo febrifugo, sed nihil inde proficui observatum. Aliae quaedam duplices autumnales tertianae nec Licheninae, nec Chininae, sed decocto Corticis cum Acido sul-

furico potius cesserunt. Neque quartanis Lichenina satisfecit. Sed experimenta continuari non poterant ob nimis parvam remedii quantitatem ab inventore elargitam.

Linum.

Interne. Decoctum potui inserviebat, in haematuria renali.

Externe. Decoctum, pro enemate purgante:

Rec. Semin. Lini rud. tus. *unc. duas*
Coq. c. s. q. aq. p. ½ horae
Col. libr. unius adde:
Olei Olivarum (vel olei Lini)
Sal. culinaris *āā unc. unam.*
D. S. Clysma.

Idem decoctum, cum oleo Lini, absque sale, cum tinctura Opii. Cum oleo Ricini:

Rec. Decocti semin. Lini ex *unc. duabus* parati *libr. unam*
Col. adde:
Olei Ricini *unc. duas*
Sal. culinaris *unc. semis.*
M. D. S. Enema.

Oleum seminum Lini, pro clysmate, ex decocto sem. Lini, sem. Ricini, Hordei, Althaeae, furfurum; ex infuso Chamomillae; vel solum, e. gr. in haematuria:

Rec. Olei semin. Lini *libr. semis.*
S. Pro clysmate.

Vide *Hordeum.* In febri pituitoso-biliosa, valde molestantibus abdominis doloribus:

Rec. Decocti Hordei l. a. parati *unc. decem*
Olei semin. Lini *unc. unam*
— cocti Hyoscyami *drachm. unam.*
M. D. S. Pro clysmate.

Farina seminum Lini, pro cataplasmate emolliente, cui subinde herba Hyoscyami, Cicutae, farina secalina, Species emollientes, Sal ammoniacus quandoque addebantur.

Rec. Farin. semin. Lini *libr. unam*
Contus. coq. c. s. q. aq. ad consistentiam cataplasmatis.
D. S. Adplicetur supra bubonem.

In haemoptoë pulmonali activa, succedente phthisi florida:

Rec. Semin. Lini cont. *libr. unam*
Herbae Hyoscyami *unc. unam*
Coque c. s. q. aq. c. f. ad consistentiam pultis.
D. S. Adplicetur omni quarta hora, ad regionem cordis, supra emplastrum theriacale.

In pneumophthisi tuberculari, propter dolorem in pectore:

Rec. Farin. semin. Lini *unc. duas*
Coq. c. s. q. àq. ad consistentiam cataplasmatis adde:
Olei semin. Lini *unc. tres*
Pulv. herb. Hyoscyami *unc. unam.*
D. S. Cataplasma.

Telae lineae fila carpta tenebant apertam incisionem bubonis suppurantis, ut puris libera fieret excretio. Superimponebatur cataplasma ex farina sem. Lini, cum Sale ammoniaco. Eadem fila applicabantur ad moderandam suppurationem, et cicatricem promovendam, post laesionem artificialem per Ferrum candens, etc.

Liquiritia.

Pulvis recipiebatur ad constituendam massam pilularum, et ad pilulas conspergendas. *Extractum* et *Succus* ad drachmam unam alteramve adjungebatur decoctis Salem ammoniacum praecipue, vel Boracem continentibus, et massae pilulari. Radix in decocto, vel decocto-infuso, ad drachmam unam, vel duas, diversis cum pharmacis, Taraxaco, Guajaco, etc. Infusum Liquiritiae gratum subministravit potum in catarrhis bronchiorum, vesicae, etc.

Lycopodium.

Pulvis seminum Lycopodii inserviebat conspergendis pilulis.

Magnesia carbonica.

Cum Saccharo, in pulvere Magnesia alba a scrupulo uno, ad drachmas duas, tresve exhibebatur. Jungebatur saepissime cum Cremore Tartari, in haemorrhoidibus; cum Rheo, in scrofularum diversis formis, tinea, chlorosi; cum floribus Sulfuris,

in haemorrhoidibus, hydrargyrotromo cum paresi, in scabie; cum Magisterio Bismuthi, in gastralgia; cum flavedine cort. Aurant., pulvere sem. Foeniculi, extracto Hyoscyami, Aconito, Belladonna, cum Castoreo.

In haemorrhoidibus:

Rec. Magnes. carbon. *drachm. unam*
Cremor. Tartari *drachm. duas*
Pulv. rad. Rhei elect. *drachm. semis*
Sacch. alb. *drachm. tres.*
M. f. pulv., detur ad scatulam.
S. Omni bihor. cochl. coff. unum.

In pyrosi, cum adpetitu prostrato (qua symptomate alius adfectionis):

Rec. Magnes. carbon.
Sacch. albi *āā drachm. duas.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. sex.
D. ad ch.

In chlorosi secundaria:

Rec. Magnes. carbon. *drachm. duas*
Pulv. rad. Rhei electi *drachm. semis.*
M. div. in dos. aeq. octo.
D. ad ch. S. Omni bihorio pulv. unus.

Magnesia pura, s. M. usta.

Pulvis, in splenemphraxi cum scabie:

Rec. Flor. Sulfur.
Magnes. ustae
Sacch. albi *āā scrupulos duos.*
M. div. in pulv. aeq. sex.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

In febri gastrica cum nota verminosa in puella (10 ann.) scrofulosa, post usum Salis amari:

Rec. Pulv. rad. Rhei chinens. *scrupul. unum*
Magnes. ustae *scrupul. semis.*
Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. div. in pulv. aeq. quinque.
D. S. Omni hora pulvis unus.

Magnesia sulfurica,
s. Sal amarus.

Uncia una, vel duae in aqua solutae, aut ex decocto solvente praescribebantur, addito extracto amaro, syrupo Cichorei cum Rheo.

Potio laxans mitior:

Rec. Sal. amari *unc. unam*
Aq. font. *unc. sex.*
D. S. Duabus vicibus sumatur.

Potio laxans priori efficacior altera, et saporis gratioris, unacum Acido sulfurico diluto, quod Salis amari vim acuit, ad mentem *James Henry*:

Rec. Aq. font. *unc. decem*
Sal. amari *unc. semis*
Acidi sulfurici dil. *drachm. unam*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Sumatur quatuor vicibus.

Alvus immorigera, post febres praeprimis intermittentes, reserabatur solutione Salis amari in aqua, cum Acido sulfurico parata, et quidem secundum *Henry* et *Troschel.* Solutio ab hisce auctoribus proposita, et a *Juttmann* *) (piae memoriae) Austriacae Pharmacopoeae accommodata, seu liquor Salis amari acidus (scopo blande purgandi) sequens est:

Rec. Salis amari crystallisati *unc. unam et dimidiam cum granis quadraginta octo*
solve in:
Aq. commun. destill. tepidae *unciis duabus*
dein adde:
Acidi sulfurici diluti (Ph. Austr.) *drachm. tres et grana triginta sex.*
Mixta filtrentur.
Dentur ad vitrum embolo vitreo clausum.
S. *Liquor Salis amari acidus.*
Sumatur cochlear unum (tenens drachm. unam et semis Salis amari) semel bisve intra horam tempore matutino.

---

*) Med. Jahrb. d. k. k. öst. St. XXIV. Bd. S. 523.

In febri quartana, cum hepato-splenemphraxi, alvo tarda:

Rec. Aq. commun. *unc. octo*
Sal. amari *unc. unam*
Extr. Taraxaci *unc. semis.*
M. D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Praescribebatur ex decocto Graminis, Taraxaci, infuso Santonici, Sennae, Ipecacuanhae, etc., et locum habuit in intermittentibus, viscerum emphraxibus, verminatione, febribus gastricis saburralibus.

Connubium cum Rheo, in pellagra, ad mentem *Fr. ab Hildenbrand*, vide sub articulo *Rheum.*

Enematibus quoque addebatur ad unciam dimidiam.

Malva vulgaris.

Infusum ex uncia semis ad libram, pro collutorio; e. gr. in isthmitide phlegmonosa, in exulcerationibus oris dolentibus:

Rec. Herb. Malvae vulg. *unc. duas*
Coque c. s. q. aq. c. p. $^1/_4$ h.
Col. librar. duarum adde:
Mell. despum. *unc. unam.*
D. S. Collutorium.

Addebantur quoque grana octo extracti Hyoscyami, vel Boracis venetae drachma una, inserviendo sic gargarismati et collutorio.

Pro fomento:

Rec. Herb. Malvae vulg. *unc. duas*
— Chamomill. *unc. unam.*
F. l. a. decoctio, inde infusio Col. libr. duarum.
D. S. Fomentum tepidum adplicandum parti dolenti.

Fomenta ope spongiae adplicabantur, e. gr. ad hypochondrium, in haematuria. Ita in ischuria, antequam ad catheterem recurreretur.

Pro vaporibus (quandoque unacum decocto capitum Papaveris) ab aegro inhalandis, mediante cono papyraceo, in coryza, muco in naribus spisso coagulato; in pneumophthisi tuberculari.

Adhibebatur pro cataplasmatibus cum Cicuta, Hyoscyamo, Lino, etc.; vel pro injectione, in infuso cum Althaea, capitibus Papaveris, etc.

Malum Granatum.

Succus recenter expressus Mali Granati colles prope Patavium Euganeos laete adornantis, propinari potuit ad uncias duas sufficienti quantitate aquae dilutus; et quidem in fluxu hepatico, ad mentem immortalis ***Petri Frank***:

Rec. Succi Mali Granati *unc. duas*
Aq. commun. *libr. duas*
Sacch. albi *unc. unam et semis.*
M. D. S. Potus.

Manna.

Praediligebatur electa, aut calabrina. Solutio unciae dimidiae, vel unciarum duarum in aqua fervida, decocto Althaeae, Tamarindorum, in infusis variis, praecipue Santonici, Sennae; superaddito non raro sale quodam cathartico.

Rec. Mannae calabr. *unc. unam et semis*
solve in:
Aq. font. ferv. *unc. octo*
Col. adde:
Tartari emetici *gran. unum*
Syr. Cichor. c. Rheo *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihor. cochl. cib. duo.

Huic solutioni adjici nonnunquam solebat Nitrum purum, sal Glauberi, sal Seignetti, Tartarus tartarisatus, etc. In febri c. gr. verminosa:

Rec. Semin. Santonici *unc. semis*
Inf. s. q. aq. ferv. p. $^1/_4$ h. v. cl.
Sub finem infusionis solve:
Mannae elect. *unc. unam*
Col. unc. octo adde:
Arcani duplicati *drachm. tres*
Syr. Cichorei cum Rheo *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Mannae usus locum habuit in inflammationibus membranae mucosae, bronchitide, haematuria, in amphimerinis catarrhrheumatico-gastricis, biliosis, in individuis flatibus non subjectis, aut quibus Cassia indicata tormina causabat.

Matricaria.

Interne. Infusum, in leucorrhoea, post Chamomillam, Rheum, Myrrham, gummi-resinam Ammoniac cum Calomele, fluxu nunc imminuto, nunc adaucto, qui erat:

Rec. Herb. florid. Matricariae *unc. semis*
Inf. s. q. aq. c. f. p. $^1/_4$ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni bihor. cochl. cib. duo.

Sed fluxus nihilominus perstat.

Addita Boracis venetae drachma semis, ad adjuvandum in menstrua nisum, in chlorosi.

Mel.

Ad unciam semis, unam, in collutorio, ex decocto Hordei, Malvae; addito quandoque Acido sulfurico, Borace, in linctu; cum Santonico et Arcano duplicato, in electuario; ad unciam unam, in clysmate, ex gummi-res. Asae foet.; in pasta molli, cum farina secalina, ad emolliendos tumores:

Rec. Mell. commun. *unc. tres*
Farinae secalinae q. s. ad pastam mollem.
S. Adplicetur supra tumorem.

Oxymel simplex.

Ad unciam unam, duas, in electuariis, in decoctis Graminis, infusis Tiliae, Ipecacuanhae, etc.

Melilotus off.

Emplastrum Meliloti:

Rec. Empl. Meliloti off. *unc. semis.*
D. Extensum super pannum lineum magnitudinis pollicum trium, et latitudinis pollicis unius, adplicetur tumori.

Fuit autem casus metastaseos ad cerebrum, tumescentia, sub pressione non dolens, ad angulum maxillae sinistrum, qui diffundebatur versus glandulam parotideam. Post adplicationem emplastri evanuit tumor.

Melissa.

Infusum ex drachmis duabus, uncia semis paratum, adhibebatur vel pro potu, vel pro medicamine, additis aliis substantiis medicatis, in febribus nervosis colliquativis, in catarrho intestinali cholerode, cholera orientali, gastro-arthralgia nervosa afebrili in hypochondriaco, cum incipiente cordis dilatatione.

Rec. Herb. Melissae *drachm. tres*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. $\frac{1}{4}$ h. v. cl.
Col. unc. decem adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Potus.

Rec. Herb. Melissae *unc. semis*
Rad. Ipecacuanh. rud. tus. *grana quindecim*
Inf. s. q. aq. ferv. p. $\frac{1}{4}$ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Camphor. s. q. muc. g. arab. subactae *grana sex*
Syr. simpl. *unc. unam.*
D S. Omni bihorio cochl. cib. tria.

Aqua destillata Melissae, in scrofula, cum nota gastrico-verminosa, post usum aliorum medicaminum: vide *Calcaria hydrochlorica.*

Collutorium sat efficax praebuit infusum herbae Melissae et Hyoscyami, in salivatione ex Mercurii usu:

Rec. Herb. Meliss. *unc. unam*
— Hyoscyami nigri *drachm. unam.*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. $\frac{1}{4}$ h. v. cl.
Col. librae unius detur.
S. Collutorium.

Mentha piperita.

Dosis et forma eaedem, uti prioris. Infusum herbae unacum diversis aliis occurrebat, cum floribus, e. gr. Tiliae, Chamomillae, Sambuci, Arnicae, etc. In febre typhode enterico-pneumonica, stadio ultimo:

Rec. Herb. Menth. pip.
Flor. Arnicae mont. *āā drachm. unam*
Inf. s. q. aq. ferv. p. $\frac{1}{4}$ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni hora vascul. coff. semis.

Aqua destillata Menthae pip., in mixturis, cum aqua destillata Cinnamomi, etc. In hysteriasi:

Rec. Aq. dest. Menth. pip. *unc. quatuor*
Tinct. Castorei *scrupulum unum*
Elaeosacch. cort. Aurant. *drachm. unam.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Eodem modo etiam extracta diversa copulabantur cum aqua Menthae.

Mezereum.

Frustula corticis Mezerei adplicabantur magnitudine scuti imperialis aceto vini prius emollita, in regione insertionis musculi deltoidei; in phthisi ad sustinendam secretionem purulentam, plaga vero cortice Mezerei devastata unguento quodam acri deligabatur. In alio casu pneumophthiseos tubercularis, fonticulus imponebatur illi loco, in quo sub auscultatione percipiebatur rhonchus ad cavernosum accedens. In casu paraplegiae fonticuli duo locum habebant ad latera columnae vertebralis, ubi praecipuus accusabatur dolor. Fonticulus apertus, propter ejus torporem medicationem exigebat ope solutionis Kali caustici. Pulvis corticis Mezerei adspersus eruptioni herpeticae in cruribus (in decursu morbi cardiaci), salutare naturae promovebat conamen.

Millefolium.

Infusum ex uncia semis, ad col. unciarum octo, vel decem paratum, e. gr. in aphthis cum diarrhoea:

Rec. Herb. flor. Millefolii *unc. semis*
Inf. s. q. aq. ferv. p. $\frac{1}{4}$ h. v. cl.
Col. libr. unius adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Potus.

Idem infusum cum tinctura quadam aromatica, et cum herba Althaeae; porro cum Acido sulfurico dil., in lichene diffuso in hysterica et arthritica ordinabatur.

Morus.

Syrupus Mororum, ad aliquot uncias; e. gr. in isthmitide phlegmonoso-catarrhosa, continuo molesto deglutiendi nisu:

Rec. Syr. Mororum *unc. duas.*
S. Epicratice.

In angina faucium, cum urticaria:

Rec. Syr. Mororum
Roob Sambuci *āā unc. semis.*
M. D. S. Paulatim deglutiendus.

Cum mucilagine g. arabici, in variola genuina confluente tussicula molesta, pruritu pustularum in faucibus haerentium.
In potu, cum Acido hydrochlorico diluto et aqua fontis.

Moschus orientalis.

Pulvis, a granis sex, usque duodecim de die:

Rec. Moschi oriental. optimi *grana duodecim*
Sacch. albi *drachm. unam et semis.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. sex.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

Rec. Moschi orientalis optimi *grana duodecim*
Pulv. rad. Ipecacuanh. *grana octo*
Sacch. albi *drachm. unam et semis.*
M. f. pulv. aeq. div. in dos. sex.
D. S. Omni hora pulv. unus.

Rec. Moschi oriental. opt. *grana sex*
Pulv. Aluminis crudi *scrupulum unum*
Sacch. albi *drachm. unam et semis.*
M. f. pulv. aeq. div. in dos. sex.
D. S. Uti srpra.

Omnes hae formulae in uno eodemque casu, typhi abdominalis cum convulsionibus, tendinum subsultibus, collapsu notabili et diarrhoea cruenta cum prospero eventu ordinabantur. Parcissimus, nisi forte hunc casum excipias, Moschi usus fuit.

Myrrha.

Extractum aquosum, vel in solutione, vel in pilulis, ad scrupulum, et drachmam semis usque. In haematochesi inflammatoria chronica, pro cura confirmatoria; en formulam:

Rec. Rad. Gramin. *unc. duas*
Consc. coq. c. s. q. aq. c. p. ½ h.
Col. refrig. librae unius adde:
Aq. destill. Laurocerasi *drachm. duas*
— Calcis rec. paratae *unc. semis*
Extr. Myrrhae aquosi *scrupul. unum*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

In leucorrhoea a statu pituitoso pendente, evacuata prius pituita per Rheum cum Calomele:

Rec. Gummi-resin. Ammon.
Extr. Myrrh. aquosi *ãã scrupul. unum*
Calomel. laevig. *grana quatuor*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pilulae XX.
Consperg. pulvere eodem.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

In catarrho pulmonum chronico, stadio blennorrhoico:

Rec. Extr. Myrrh. aquosi *drachm. semis*
Sulf. a. Antimonii *grana sex*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil. XX.
Consperg. pulvere eodem.
D. S. Omni bihorio pil. quinque.

Sed symptomata fere eadem permanebant, nisi excipias cessationem ardoris et constrictionis in trachea, et sputorum sanguineorum.

Uniebatur Myrrha cum extracto Conii, cum carbonate et sulfate Ferri; cum aqua Rosarum.

Nicotiana.

Externe, pro lotionibus, decoctum, in herpete papuloso, post usum aquarum Rainerianarum, Graphitis, balneorum ex Cicuta et Tritico:

Rec. Herb. Malvae *unc. tres*
— Nicotianae *unc. semis*
Coq. c. s. q. aq. c. p. $\frac{1}{4}$ h. v. cl.
Col. librae unius detur.
S. Pro lotionibus vicissim et alternatim in extremitatibus instituendis.

Imminuebatur exinde sensus pruritus; cutis etsi tensa, minus tamen arida tangebatur.

Nitrum depuratum.

Interne. Pulvis, solutio, a drachma semis, ad drachmas duas. In perturbationibus criticis individuorum sensibilium:

Rec. Nitri purissimi *drachm. unam*
Castorei moscovitici *grana quatuor*
Lapid. Cancrorum *scrupulos duos*
Sacch. alb. *scrupul. quatuor*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. octo.
D. S. Omni bihorio (vel omni hora) pulvis unus.

In cardiectasi hypertrophica:

Rec. Nitri puriss. *drachm. unam*
Pulv. fol. Digital. purp. *grana sex*
Sacch. albi *drachm. duas.*
M. f. pulv. etc., uti supra.

Nitrum cum Cremore Tartari constituit pulverem temperantem, et exhibebatur nonnunquam cum Tartaro emetico, Magnesia carbonica, cum Camphora, Ipecacuanha et Opio.

Solutio ex decocto Althaeae, Graminis, Hordei, Tamarindorum, Senegae, etc., emulsione amygdalina, mixtura oleosa, addita uncia una salis Glauberi, vel grano Tartari emetici, etc.

Rec. Limoneae tenuis *libr. tres*
Nitri puri *drachm. unam*
Sacch. albi *unc. unam.*
M. D. S. Potus.

Cum Acido nitrico, imminuta vero Nitri dosi, in pneumonitide:

Rec. Rad. Althaeae *unc. semis*
Consc. coque c. s. q. aq. c. p. 1¼ h.
Col. refrig. unc. octo adde:
Aq. destill. Laurocer. *drachm. unam et semis*
Nitri depurati *scrupul. duos*
Acidi nitrici diluti *scrupul. unum*
Syr. simpl. *unciam unam.*
D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

Externe, cum Sale ammoniaco pro fomentis Schmuckerianis sumebatur, capiti impositis.

Nux juglans.

Putaminum viridium decoctum, pro usu interno, ad unciam semis ordinabatur. In syphilide:

Rec. Putamin. Nuc. jugland. virid. *unc. semis.*
Consc. coq. c. s. q. aq. c. p. ½ h.
Col. librae unius adde:
Syr. simpl. *unc. duas.*
D. S. Pro potu.

Extracti drachma una, in aquae destill. libra soluti, pariter in syphilide; *oleum pressum* pro illinitione crustarum faciei adhibebatur.

Nux moschata.

In pulvere, ad grana decem pro dosi. In adenophymate scrofuloso, pulvis sequens, *Kortumii* dictus ordinabatur:

Rec. Pulv. Nucis moschat.
— baccar. Lauri tostarum
— Cornu Cervi usti *āā drachm. unam*
Sacch. albi *drachm. tres.*
M. f. pulv. aequab.
D. ad scatulam.
S. Omni bihorio cochl. coff. unum.

Elaeosaccharum Macis, qua corrigens cum Rheo, China, Magnesia, ad drachmas duas, licet rarissime, praescribebatur.

Nux vomica.

Agebatur de paraplegia ex malaxi medullae spinalis, in qua indicatione causali, aut pro antiphlogistica cura, nulla praesente, *Strychnina* empirice magis tentari debuit:

Rec. Strychninae pur. *gran. semis*
Sacch. alb. *drachm. unam et semis.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. octo.
D. S. Omni trihorio pulvis unus.

Post quos pulveres sumtos, sudor, quies, et somnus. Strychninae dosis aucta gr. $\frac{1}{4}$ omni fere die ita, ut grana duo et dimidium in die consumta fuerint. Ob vertigines, vomiturītiones, vomitus, pupillam dilatatam, saporem oris amarum, linguam rubellam, et pulsus celeres suspendi debuit Strychnina, iterum vero resumta, sed nullo cum juvamine.

Alter fuit casus paraplegiae, in quo Strychnina ad gran. unum intra dies tres porrecta, atque eadem per dies 50 continuata, interpolato quasi omni 3.—5. die infuso laxat. Viennensi ob alvum pigram, nullum attulit levamen. Nec ullum plane effectum narrare possum ex Strychnina, in anaesthesiam paraplegicam cum nota rheumatica directa, et per menses duos et ultra continuata.

Ordinationes vero erant sequentes:

Rec. Strychnin. pur. *quintam partem grani*
Pulv. rad. Ipecacuanh. *grana quatuor*
Sacch. albi *drachm. unam.*
M. exactiss., ut f. pulv. sex.
D. S. Omni bihorio pulv. unus.

Rec. Strychnin. puriss. *quartam grani partem*
Extr. Dulcamar. *scrupul. semis*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil. quatuor.
D. S. Omni trihorio pilula una.

Oleum jecoris Aselli.

Interne, aut solum, aut aqua destillata exceptum, ad unciam semis pro dosi, et unciam unam pro integro die. In scrofula inveterata:

Rec. Olei jecoris Aselli *unc. unam.*
S. Cochlear unum mane, et alterum vesperi.

Quum oleum bene non ferreretur, superbibebatur aqua Foeniculi destillata. Hocce medicamen unacum cortice Chinae reg., Ferro et aliis externis sanationem procuravit. Bene quoque conducebat in catarrho laryngis chronico, aliquid adhuc, quantum potuit, statum emelioravit in laryngo-pneumophthisi tuberculari. Experientia quoque facta fuit cum eodem oleo in lue scrofuloso-medorrhoica cum arthralgia rheumatode, postquam Guajacum, Sarsaparilla, Aconitum et hydriodas Potassae in censum vocata fuissent. In articulationibus exinde dolores penitus evanuerunt, tumor arthriticus non amplius cernendus, et aeger jam per Clinicum deambulare potuit, glandulae vero colli volumine crevere, sed molliores factae sunt. Locus dein cedebatur hydriodati Potassae in unguento prius, dein in solutione ope Electricitatis adplicito.

In pneumophthisi tuberculari cum tabe mesenterica, cum vomitu continuo, ventre tumido dolente, emaciatione notabili:

Rec. Olei jecoris Aselli *unc. semis*
Aq. destill. *unc. decem.*
M. D. S. Epicratice.

Ejecto et hoc medicamine, idem per clysma intrudebatur, sub formula:

Rec. Olei jecoris Aselli *unc. duas*
Vitellum Ovi *unius*
Subige exacte, addendo:
Mell. despum. *unc. unam*
dein affunde:
Aq. commun. *unc. tres.*
M. D. S. Pro clysmatibus duobus.

Oleum Olivarum.

Addebatur, veluti oleum Lini, clysmatibus. Pro illinitione cutis, et condylomatum dolentium adhibebatur.

Ononis spinosa.

Decoctum ex uncia una, vel duabus, ad col. librae unius; in hydrope ascite:

Rec. Rad. Ononid. spinos. *unc. unam*
Coq. c. s. q. aq. c. p. 1/4 h. v. cl.
Sub finem coctionis infunde:
Fol. Digital. purp. *scrupul. unum*
Stent in infusione calida p. 1/4 h. v. cl.
Col. unc. decem adde:
Acetat. Lixiv. solut. *unc. semis*
Roob Juniperi *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. tria.

Unacum Taraxaco, et Polygala Senega praescribebatur, addebatur insuper Oxymel squill., vel acetas Ammoniae, Tartari emet. gr. unum. Quoad effectum, hunc melius exseruere Squilla et Aloë, quam Ononis.

Ovum gallinae.

Interne. In phthisi ulcerosa pulmonum:

Rec. Vitellum Ovi rec. *unius*
Sacch. albi *unc. unam*
Tere simul, sensim addendo:
Lactis vaccini *libr. unam.*
M. D. S. Epicratice.

In quotidiana lenta cum incipiente hydrope, etc., praesentibus summa virium delassatione, et calore urente universali:

Rec. Vitellum Ovi rec. *unius*
Aq. Menth. pip. *unc. semis*
Tere simul, sensim sensimque addendo:
Lact. vaccin. rec. tepidi *libr. unam.*
M. D. S. Epicratice.

Adhibebatur etiam ad subactionem Asae foet., Myrrhae, olei Terebinthinae, olei jecoris Aselli, etc., tum interne, tum in clystere. Vide *Alumen.*

Papaver album.

Capsulae, *s. capita Papaveris albi.* Externe, in decoctis cum Malva, Althaea, Cicuta, ad injectiones, ubi in ozaena scrofulosa, ad partes inflammatas alluendas, aut pro fomentationibus et cataplasmatibus; e. gr. in anaesthesia paraplegica cum nota rheumatica:

Rec. Capit. Papaveris albi
Herb. Malvae *āā unc. tres*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. $^1/_4$ h.
Col. libr. duarum detur.
S. Calefiat liquidum, quoties imponatur.

Syrupus capitum Papaveris albi, seu *Diacodii.* Ad unciam unam decoctis et infusis sedantibus, etc. solebat addi, etiam linctui cum mucilagine g. arab. ad partes anaticas admiscebatur. In amphimerina gastrico-rheumatica, in nervosam versa:

Rec. Mucilag. g. arab.
Syr. Diacodii *āā unc. unam et semis*
Aq. dest. Foeniculi *drachm. sex.*
M. D. S. Epicratice ad parva cochlearia.

Opium.

Interne, a grano $\frac{1}{2}$ — **1** — grana **3**, etc. caute adscendendo. In tromophrenesi bibonum incipiebatur a grano uno, granis tribus, vel quatuor, adscendendo ad grana **16** de die, ita ut intra octiduum grana CVIII Opii consumta fuerint. Post inductam vero inde crisim per somnum et sudorem, Opii dosis imminuebatur. Opium vero in haecce peculiari forma morbi, quae in Italis tam facile cum capitis congestionibus et phlogosi encephalo-meningea decurrit, non tam frequenter locum invenit, ac apud medicos in septentrionalibus regionibus praxin exercentes. In hocce ipso morbo Opium lubenter combinabatur cum Tartaro emetico, de quo suo loco. In rheumatismo lento qua paregoricum vespertinum, itidem in doloribus osteocopis:

Rec. Opii puri *grana duo*
Sacch. albi *scrupul. quatuor.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. quatuor.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

Connubium inivit cum Calomele, in diarrhoea dysenterica, aegro jam notabiliter emaciato. Pulveres ex Calomelanos granis 4, et Opii granis duobus aliquoties repetiti tenesmum et evacuationum frequentiam restrinxere, et relativam copiam auxere.

Cum sulfate Chininae, in intermittentibus erethisticis, cum epigastralgia incedentibus, quibus aut suberat, aut quas sequebatur spasmodica nervorum contentio:

Rec. Opii puri *grana tria*
Sulfat. Chinini *grana viginti*
Extr. Taraxaci q. s. ut f. pil. [XVIII.]
Consperg. pulvere Liquirit.
D. S. Omni bihorio pilulae tres.

Cum pulvere Ipecacuanhae, in rheumatismis, doloribus nevralgicis, quibus poculum oblivionis et per inductam diapneusim non raro unica salus erat. Uniebatur cum Scilla, extracto Hyoscyami, Magisterio Bismuthi, etc. Quoad diarrhoeas, praeprimis sub epidemicae cholerae dominio regnantes, hisce, quo magis hypercatharsis aliqua, obstaculis aliis non praesentibus, ad rheumaticam et serosam accedebant formam, eo citior et tutior in pulveribus Doweri, inque ipso Opio salus erat. Solo Opio, penes balnea alcalina sic dicta *Stuetziana* paucos intra dies plena salutis restitutio obtenta est a juvene tetano traumatico detento, contra quem sanguinis evacuationes et reliqua antiphlogistica nil proficui agere valuissent. Contra intoxicationem ex Digitali, Opium non adeo utile deprehendebatur. In catarrho pulmonum cum cardiectasi dextra passiva et stenocardia, accessum stenocardiacum multum mitigavere pilulae:

Rec. Opii puri *grana duo*
Extr. Liquirit. *grana quindecim*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil. X.
Consperg. pulv. eodem.
D. S. Omni ¼ hora pilula una.

In anaesthesia paraplegica cum nota rheumatica, doloribus lancinantibus capitis et artuum, vagantibus:

Rec. Opii puriss.
Pulv. rad. Ipecacuanh. *āā grana duo*
Nitri puri *drachm. semis.*
Roob Sambuci q. s. ut f. pil. XII.
D. S. Omni hora pilulae duae.

Pulvis, externe. In otitide rheumatiea, dolor residuus ope frictionis pulveris Opii propria eum saliva institutae fugabatur.

Extractum Opii aquosum. Interne, a gr. $^1/_8$ — 1, in pilulis; c. gr. in syphilide, qua paregoricum:

Rec. Extr. Opii aquosi *grana duo*
Medull. panis q. s. ut f. pil. quatuor.
D. S. Omni hora pilula una.

Forma emulsionis, in febri intermittente eum eardiopalmo; in enterophthisi.

Ex decocto Salep, in diarrhoea eum probabili exuleeratione intestinali; ex deeoeto Liehenis isl., in eatarrho chronieo:

Rec. Lichen. island. *unc. semis*
F. l. a. infuso-decoctum.
Col. unc. decem adde:
Extr. Opii aquosi *grana duo.*
D. S. Omni bihor. cochl. cib. tria.

Forma mixturae oleosae, in pneumo-phthisi tuberculari, ad somnum provocandum, et diarrhoeam sistendam, euthanasiae gratia:

Rec. Olei Amygdal. dulc. r. pr. *unc. unam*
Pulv. g. arab. q. s. ad perfect. olei subactionem
Syr. simpl. *unc. unam et semis.*
Intime subactis, sensim sensimque affunde:
Aq. commun. *unc. decem*
adde:
Extr. Opii aquosi *grana tria.*
M. exacte. D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Externe, pro unguento, quod eonstituebant grana duo, vel tria extraeti Opii, et uncia una adipis.

Tinctura Opii simplex, s. *tinct. thebaica,* s. *tinct. anodyna.* Interne, ad guttas XV — XX, ad summum XXXV. In delirio tremente potatorum:

Rec. Decocti Gramin. ex *unc. duabus* parati *libr. unam*
adde:
Tartari emetici *grana tria*
Tinctur. Opii simpl. *gutt. viginti*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihor. vascul. coff. semis.

Cum infuso Melissae, in catarrho intestinali cholerodc, in cholera orientali; itidem cum infuso Ipecacuanhae, Melissae, et Ammoniae acet. solutae; cum aqua dest. Cinnamomi, et spir. Aetheris sulfurici, ad guttas XXXV.

Collutorium, in irritatione gingivarum:

Rec. Herb. Malvae off. *unc. unam*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. $^1/_4$ h.
Col. unc. octo adde:
Tincturae Opii simpl. *scrupul. unum.*
D. S. Collutorium.

Eadem formula pro clysmate inserviebat.

Ad scrupulos duos, usque drachmam, in infuso Pyrethri Parthenii, in odontalgia utilis deprehendebatur.

Externe, pro linimento, a drachma una, ad duas; e. gr. in arthrorheumate:

Rec. Tinct. Opii simpl. *drachm. duas*
Linimenti saponato-camphorati
Olei Amygdal. dulc. r. pr. *āā unc. semis.*
(vel olei cocti Hyoscyami)
M. f. linimentum.
D. S. Pro usu.

Tinctura adhibebatur ad adspergenda cataplasmata, in abscessubus phlebiticis, in ichthyosi elephantina dolentibus et tumentibus articulis, ad fomentationes, injectiones, illinitiones.

Laudanum liquidum Sydenhami, s. *tinct. Opii composita.* Externe, in linimento ad drachmam unam, unacum unguento Hydrargyri cinerei (drachm. 3), et oleo cocto Hyoscyami (unc. $^1/_2$), in inflammatione ossium metatarsi et maleolorum.

Morphium, s. Morphina.

Interne a gr. $^1/_8$—$^1/_4$—$^1/_2$—1 cum cautela adscendendo. In phthisi pulmonali, ad leniendam tussim:

Rec. Syr. simpl. *unc. unam*
Mucilag. g. arab. *unc. semis*
Morphin. puriss. *gran. semis.*
M. f. linctus.
D. S. Sumat epicratice.

Morphium aceticum, s. *Acetas Morphii.* Interne, in pulvere, pilulis, solutione, ad gr. $^1/_8$ — $^1/_4$ — **1**.

Forma pulveris, qua paregoricum, in rheumatismo articulorum et residuis syphilidis:

Rec. Acetat. Morphii *gran. semis*
Sacch. albi *drachm. semis.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. tres.
D. S. Omni bihorio pulv. unus.

Pilulae paregoricae, in doloribus osteocopis:

Rec. Acetat. Morphii *gran. semis*
Extr. Taraxaci *scrup. unum*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil. sex.
D. S. Pilulae duae vesperi, spatio horarum duarum intermedio.

Mixtura, in pneumophthisi:

Rec. Acetat. Morphii *gran. semis*
Aceti Vini optimi *drachm. semis*
Aq. destill. *unc. tres*
Syr. simpl. *unc. semis.*
M. D. S. Cochl. coff. unum omni $^1/_4$ hor.

In laryngo-pneumophthisi tuberculari:

Rec. Olei Amygdal. dulc. r. pr.
Mucilag. g arab.
Syr. simpl. *āā unc. semis*
Acetat. Morphii *gran. semis.*
M. D. S. Agitata lagenula, omni bihorio cochl. coff. unum.

Internus hujusce praeparati usus locum habuit quoque, una cum Calomele, in ictero sympathico; cum acetate Plumbi, in aneyrysmate arcus aortae; cum bicarbonate Sodae, etc.

Externe, secundum methodum endermaticam, in forti capitis dolore, rheumatismo capitis et colli, praemissis aliis remediis:

Rec. Acetat. Morphii *gran. unum*
Sacch. albi *drachm. unam.*
M. f. pulv.
D. S. Ad inspersionem in locum ex vesicante relictum, pro duabus vicibus.

Rec. Acetat. Morphii *gran. semis* (unum)
Mucilag. g. arab. *drachm. unam* (tres).
M. D. S. Adplicetur plagae ex vesicante relictae (e. gr. in cephalea rheumatica, adplicabatur ad nucham; in anaesthesia paraplegica, super plexus cervicales).

Intoxicationis symptomata nata ex Morphio acetico, methodo endermatica adplicito, in puella annorum **16**, laborante hemicrania rheumatica, potubus acidulis intra paucas horas omnia composita fuere.

Simplex unguentum, in nevralgia intercostali, a zostere relicta quoque praescribebatur:

Rec. Acetatis Morphii *grana quinque*
Butyri Cacao *unc. duas.*
M. f. unguentum.
D. S. Inungatur pars dolens.

Papaver Rhoeas.

Infusum ex uncia semis, una paratum, propter ejus colorem vinum, a delirante bibone avide desideratum, mentientem.

Rec. Flor. Papaver. Rhoeados *unc. semis*
Inf. s. q. aq. c. f. p. $^1/_4$ h. v. cl.
Col. librae unius adde:
Succi Citri r. pr. *unc. unam*
Syr. simpl. *unc. duas.*
D. S. Potus.

Idem infusum obvenit cum Elixir acido Halleri, et Tartaro emetico.

Petroleum.

In hepato-splenemphraxi cum febri intermittente, et verminatione:

Rec. Petrolei *drachm. duas.*
S. Inungenda regio umbilicalis, quater de die.

Sensibilitate abdominis multum inde imminuta, in eodem casu:

Rec. Unguenti neapol. *drachm. unam*
Petrolei *drachm. tres.*
M. f. linimentum.
D. S. Ter de die magnitudine nucis avellanae inungatur regio umbilici.

In febri gastrico-verminosa, quum post eccoprotica, purgantia, anthelminthica vermis nullus secessisset:

Rec. Petrolei
Olei Olivarum *āā drachm. tres*
Unguenti neapol. *drachm. semis.*
M. exactiss. f. linimentum.
D. S. Mane et vesperi inungatur abdomen, sumendo pro vice una, quartam partem.

Sed nullus inde secessit vermis, eorum vero depulsi ope Calomelanos.

In tabe mesenterica, sed jam conclamata, nec inunctio cum adipe, Felle Tauri, vitello ovorum et Petroleo boni quid efficere poterant.

Phellandrium aquaticum.

Pulvis, ad scrupulum, augendo dosim ad drachmam semis, scrupulos duos.

Rec. Pulv. semin. Phellandrii aquat. *scrupul. unum*
Sacch. alb. *drachm. unam*
M. f. pulv. aeq. div. in dos. sex.
D. S. Omni bih. pulv. unus, alternatim sumendus cum decocto Lichenis.

Adhibebatur cum emolumento in catarrho chronico. Nil vero juvit in pneumophthisi tuberculoso-ulcerosa; obvenit quoque cum pulvere Rhei, in pilulis, et cum Saccharo Saturni, in pulvere.

Pigmentum indicum.

Experimentum factum est in epilepsia. Cura incepit cum Ferri sulfurici granis 6, et Pigmenti indici drachma $^1/_2$, una cum Valeriana, in iisdem dosim Ferri sensim ad grana 8, et Pigmenti ind. ad drachmam unam augendo, et ita per mensem

continuando. Sed prius ac prosperi quid ex hac praxi potuisset proferri, aeger deseruit Clinicum. In alio epilepsiae casu ex hocce remedio effectus valde laudabilis non obtinebatur. Medicinae studiosus ab hoc morbo remedii dicti ope penitus liberatus est.

Pinus sylvestris.

Emplastrum, in arthralgia chronica:

Rec. Resin. Pini
Cerae citrinae
Sebi ovilli *āā unc. unam*
Leni igne liquefactis admisce:
Camphor. ras.
Opii puri *āā drachm. unam.*
F. l. a. ceratum.
D. S. Adplicandum loco dolenti.

In scrofula, ope emplastri resinae Pini, cum Cerussa alba, Sebo ovilli et Cera citrina, cicatrisatio ulcerum prompte successit. Sic emplastrum ex resina Pini, cum Cera alba, Sebo ovilli, et axungia porci, in variola confluente, dolorem et duritiem in abscessu mammarum, post evacuationem puris foetentis dissipavit.

Pix navalis liquida.

Adduco casum ichthyoseos squamosae a sex annis jam perstantis. Nil prorsus juvit; novae semper semperque efflorescentiae prorupere. Arrisit, methodum sequi *Willani:*

Rec. Picis navalis liquid. *drachm. unam*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil. granorum quatuor.
Consperge pulvere eodem.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Aqua communis inserviebat potui. Post singulum balneum universale commune, illiniebatur corpus integrum oleo Amygdalarum dulcium. Picis dosis sensim sensimque augebatur ad drachmam $1\frac{1}{2}$, drachmas 2, 3, $3\frac{1}{2}$ — 4. Pilulae suspendeban-

tur ob febrem per refrigerium contractam, sed renovabantur denuo, ut sequuntur:

> *Rec.* Picis naval. liquid. *unc. semis*
> Aethiop. antimon. *grana quindecim*
> Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil. granorum quatuor.
> Consperg. pulvere eodem.
> D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Sed necessitas urgebat, ut confugeretur adhuc ad unguentum ex Sapone nigro, pulvere Sulfuris crudi et Helleboro, etc. Effectus parum laudabilis erat.

Plumbum aceticum acidum, s. Acetas Plumbi acidulus siccus, s. Saccharum Saturni.

Interne. Pulvis a gr. $^1/_8$, $^1/_4$; in phthisi tuberculari increscente, praesente, unacum sputis largis, diarrhoea copiosa:

> *Rec.* Acetat. Plumbi aciduli sicci *granum unum*
> Pulv. rad. Ipecacuanh. *grana quatuor*
> Sacch. albi *drachm. unam et semis*
> M. f. pulv. aeq. div. in dos. octo.
> D. S. Omni triborio pulvis unus.

Parum emelioratus aeger abiit domum.

In alio casu phthiseos pituitosae:

> *Rec.* Pulv. semin. Phellandrii aquat. *drachm. unam*
> Sacch. Saturni *gran. semis*
> Sacch. albi *drachm. duas.*
> M. f. pulv. aeq. div. in dos. X.
> D. S. Omni bihorio pulvis unus, alternatim cum decocto Lichenis island. sumendus.

Spatio dierum octo, grana totidem Plumbi consumta fuere non sine aliquo fructu.

Sub usu Sacchari Saturni in connubio cum Morphio acetico tumor anevrysmaticus arcus aortae delitescebat, pulsatio minuebatur, et omnia symptomata generatim mitigabantur, nec alvus a continuata tali cura reddebatur styptica. Ast non multo post tumor fortius pulsans rursus elevabatur cum suffocationis periculo, quod demum intravit. Alter quoque casus similis, licet ab

initio pulveris Sacchari Saturni, et Opii (*āā* grana duo de die) usus spem aliquam admittere videretur, in morte terminavit.

Externe, forma linimenti:

Rec. Olei commun. *unc. tres*
Sacch. Saturni *drachm. semis.*
M. f. linimentum.
D. S. Illiniantur plagae ex diuturna sinapismorum applicatione exulceratae.

Et, quum dolores in iisdem plagis persentiri continuarent:

Rec. Olei commun. *unc. duas*
— cocti Hyoscyami *unc. unam*
Sacch. Saturni *scrupul. unum.*
M. D. S. Uti supra.

Unguentum, in scrofula, labio tumente ac dolente:

Rec. Sacch. Saturni *scrvpul. unum*
Adipis suilli *drachm. tres.*
M. f. unguentum.
D. S. Inungatur labium, magnitudine pisi.

Solutio. In syphilide locali, post ustionem ulceris, cum Argento nitrico:

Rec. Aq. destill. *unc. octo*
Sacch. Saturni *grana viginti quinque.*
M. D. S. Pro lotione.

Aqua vegeto-mineralis Goulardi.

In blennorrhoea posthuma urethrali post tot et tanta medicamina adhibita, eodem tenore perstante:

Rec. Aq. commun. destill. *libr. unam*
— vegeto-mineral. Goulardi *unc. unam.*
M. D. S. Pro injectione in urethram.

Eadem lotio, imminuta vero dosi Aquae destill. comm. ad libram semis, locum habuit in variola, propter nimiam pustularum adhaesionem ad cutim.

In hydrope universali, scroto valde inflammato:

Rec. Aq. destill. commun. *unc. sex*
— vegeto-miner. Goulardi *unc. unam*
Mucilag. g. arab. *unc. duas.*
M. D. S. Lavacra scroti.

Vide *aqua Rosarum.* Epithemata ex aqua Goulardi adplicabantur illico post hirudines, in anevrysmate arcus aortae.

Plumbum carbonicum,
s. Carbonas Oxydi Plumbi,
s. Cerussa alba.

Suppositoria, in tabe mesenterica, praesentibus tumoribus haemorrhoidalibus:

Rec. Butyri Cacao *unc. unam*
Cerussae alb. *drachm. unam.*
Malax. exacte, ut f. suppositoria Nr. duo.
D. S. subponantur mane et vesperi.

Emplastrum, in scrofula, ad ocyus obtinendam ulcerum cicatrisationem:

Rec. Ceruss. alb.
Sebi ovill. *āā drachm. duas*
Cerae citrin. *unc. semis*
Resin. Pini *drachm. unam.*
Confunde ad lenem ignem.
F. emplastrum.
D. S. Adplicetur ulceribus colli.

Emplastrum Diachylon simplex.

Obtegebantur hocce emplastro bullae et plagae ruptae in pemphigo scorbutico; excoriationes et ulcerationes in cute ex crustis delabentibus; in variola; tumor scrofulosus apertus, etc.

Polygala Senega.

Decoctum ex uncia semis, in catarrho chronico cum atonia pulmonum:

Rec. Rad. Senegae *unc. semis*
Consc. coq. c. s. q. aq. p. ¼ h.
Col. unc. octo adde:
Tartari emet. *gran. unum*
Oxymell. squill. *unc. semis.*
D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

In pneumo-bronchitide catarrhali, haerente expectoratione; in pneumonia notha Sydenhami, in statum nervosum tendente:

Rec. Rad. Polygal. Seneg. *drachm. tres*
Consc. coque c. s. q. aq. c. p. 1/4 h.
Col. unc. octo adde:
Sal. ammon. dep. *drachm. unam*
Succi Liquirit. *drachm. duas*
Oxymell. squill. *unc. duas.*
D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

In bronchitide, cum pneumonia succedanea, cum sputis nullis, tussi perrara, vertigine, cephalea, aurium susurru, facie collapsa, inquietudine, doloribus artuum, delirio, virium debilitate:

Rec. Rad. Polygal. Seneg. *unc. semis*
Consc. coque c. s. q. aq. p. 1/4 h.
Dein infunde:
Rad. Ipecacuanh. rud. tus. *scrupul. unum*
Stent in digestione p. 1/4 h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Camphor. ras. mucilag. g. arab. subactae *grana tria*
Syr. simpl. *unc. unam*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. tria.

Praescribebatur quoque et quidem lubentissime cum Lichene island., Ononide spinosa; addebatur decocto aqua Laurocerasi, Cremor Tartari, acetas Ammoniae, Nitrum.

Potassa carbonica neutra.

Unguentum, ad tumorem lienis in quartana, hac vero abacta

Rec. Carbonat. Potassae neutr. *drachm. unam*
Axung. porci *unc. unam.*
M. f. unguent.
D. S. Ad inungendam regionem iliacam sinistram ter de die magnitudine nucis juglandis.

Tumor exinde imminuebatur, sed ad fovendam plenariam tumoris resolutionem contulit Sal ammoniacus in decocto Taraxaci.

Potassa hydrochlorica.

In ascite diffuso, sed nullo cum effectu experimentum factum fuit cum infuso baccar. Juniperi, et Potassa hydrochlorica, ad drachmam 1 1/2, dosi serius aucta de die drachma 1/2.

Prunus domestica.

Decoctum ex unciis duabus, ad col. librae unius paratum, simulque subjunctis Gramine aut Hordeo, quibus utplurimum sal quidam eccoproticus solebat addi; e. gr. in febribus aestivis:

Rec. Prunor. siccatar. enucl.
Rad. Graminis consc. *āā unc. duas*
Coq. c. s. q. aq. c. p. ½ h.
Col. libr. unius adde:
Cremor. Tartari *drachm. tres*
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni hora vasculum coff. semis.

Pyrethrum.

(Anthemis Pyrethrum.)

Externe, pro collutorio, in odontalgiis:

Rec. Rad. Pyrethri *drachm. tres*
Consc. inf. s. q. aq. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. sex adde:
Tinct. Opii simpl. *drachm. unam.*
D. S. Collutorium.

In individuo scorbutico, omissa serius, dolore dentium evanido, tinctura Opii, addebatur drachma ½ Acidi sulf. diluti, et uncia 1 Mellis.

Pyrola umbellata,

s. Chimophila umbellata.

In ascite diffuso, postquam extractum Squillae methodo endermatica tentatum fuisset:

Rec. Fol. et stipitum Pyrolae umbellat. *unc. semis*
Inf. s. q. aq. ferv. p. ¼ h.
Postea coq. p. ¼ h. col. fortiter expr. *unc. decem*, adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio cochl. cib. tria.

Decocto Pyrolae addebantur quoque spiritus Juniperi drachmae 2, augendo dosin ad unciam semis.

Quassia.

Extractum Quassiae, forma pilularum, in chlorosi:

> *Rec.* Extr. ligni Quassiae *drachm. unam*
> Pulv. cort. Cinnamomi q. s. ut f. pilulae XXX.
> Consperg. eodem pulvere.
> D. S. Omni bihorio pilulae duae — tres.

Eadem formula cum extractis amaris tonicis, et extracto Aloës aquoso, serius cum extracto malatis Ferri, vel carbonate, et limatura Ferri; connubium non insuetum inivit cum Croco, Baryta muriatica et extracto cort. Peruviani, Ferro sulf., pilulis Valleti. Adhuc in chlorosi:

> *Rec.* Extr. Quassiae
> — cort. Peruv. *āā grana quindecim.*
> Pulv. rad. Acori q. s. ut f. pil. XV.
> Consperg. pulvere Lycopodii.
> D. S. Omni bihorio pilulae tres.

Vide *Absynthium.*

Cum rasura ligni Guajaci; in chlorosi primaria:

> *Rec.* Extr. Quassiae *scrupul. unum*
> Rasur. ligni Guajaci q. s. ut f. pil. X.
> Consperg. pulvere Cinnamomi.
> D. S. Omni bihorio pilula una.

Quercus.

In scrofula, coffea ex glandibus Quercus tostis inserviebat potui:

> *Rec.* Glandium Quercus tostarum *libr. unam*
> Redige in pulverem.
> D. S. Pro infuso arabico.

Ratanhia.

Decoctum, interne, a drachmis duabus, tribus ad col. unc. octo; in oophoritide lenta, cum fluxu uterino perstante, sub finem curae, scopo adstringente; in leucorrhoea a statu pituitoso:

Rec. Rad. Ratanh. *drachm. duas (tres)*
Coq. c. s. q. aq. c. p. ½ h.
Col. fortiter expr. unc. octo adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Externe, pro collutorio; in stomacace scorbutica:

Rec. Rad. Ratanh.
Cort. Chinae reg. rud. tus. *āā drachm. tres*
Coq. c. s. q. aq. c. p. ½ h.
Col. unc. octo adde:
Aluminis crudi *drachm. unam*
Mell. Rosarum *unc. unam.*
D. S. Collutorium.

Rheum.

Recipiebatur in pulvere cum salibus diversis, cum substantiis drasticis; in pilulis, cum Quassia, Felle Tauri, Trifol. fibr., Sapone, etc. Infuso addebatur syrupus Cichorei c. Rheo, extractum Absynthii, extractum cort. Aurantiorum, Salia diversa. *Tinctura Rhei aquosa* uniebatur cum decoctis et mixturis amaris tonicis, purgantibus. Dosis refracta a granis duobus, ad decem; plena dosis a drachma una vel duabus. Tincturae dosis uncia una, vel duae addebantur mixturis.

Rec. Pulv. rad. Rhei chinens. *drachm. semis*
Sacch. albi *drachm. unam.*
M. f. pulv. aeq. div. in dos. octo.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

In osteadenitide scrofulosa, cum zostere ligulari:

Rec. Pulv. rad. Rhei chinens.
Magnes. carbon.
Elaeosacch. cort. Auraut. *āā drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. X.
D. S. Uti supra.

In tinea scutulata:

Rec. Pulv. rad. Rhei chinens.
Magnes. alb. *āā drachm. semis*
Elaeosacch. Foeniculi *drachm. unam.*
M. f. pulv. aeq. div. in dos. sex.
D. S. Uti supra.

In pyrosi:

Rec. Carbonat. Magnes. *drachm. semis*
Pulv. rad. Rhei chinens. *grana quindecim*
Elaeosacch. cort. Aurant. *drachm. semis.*
M. f. pulv. aeq. div. in dos. sex.
D. S. Omni bihorio pulvis, usquedum evanescat pyrosis.

Cum Calomele, in febre gastrico-verminosa; in hepato-splenemphraxi subinflammatoria:

Rec. Calomel. laevig. *grana octo (decem)*
Pulv. rad. Rhei chinens. *grana sexdecim (scrup. unum)*
Sacch. albi *drachm. unam.*
M. f. pulv. aeq. div. in dos. quatuor (sex).
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

Infusum, in chlorosi primaria:

Rec. Rad. Rhei chinens. rud. tus. *drachm. unam et semis*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. $\frac{1}{4}$ h.
Col. unc. decem adde:
Extr. cort. Aurant. *drachm. semis*
Elaeosacch. cort. Aurant. *drachm. duas.*
D. S. Omni bihorio cochl. cib. tria.

Rec. Rad. Rhei chinens. rud. tus. *drachm. duas*
Inf. s. q. aq. c. f. p. $\frac{1}{4}$ h.
Col. unc. decem adde:
Sal. amari *unc. semis*
Syr. Cichor. c. Rheo *unc. unam.*
D. S. Omni hora vascul. coff. semis.

Haec fuit formula cum fructu adhibita, ad mentem cl. Prof. *Fr. ab Hildenbrand*; et quidem in pellagra.

In adfectionibus pituitosis:

Rec. Rad. Rhei chinens. rud. tus.
Semin. Anisi stellati *āā drachm. duas*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. $\frac{1}{4}$ h.
Col. unc. octo adde:
Elaeosacch. cort. Aurant. *drachm. duas.*
D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

In erysipelate lymphatico decrescente, cum nota pituitoso-verminosa, ad digestionem magis excitandam:

Rec. Rad. Cichorei *unc. unam et semis*
Coq. c. s. q. aq. c. p. ¹/₄ h.
Sub finem coctionis adde:
Rad. Rhei chinens. *drachm. duas.*
Stent in infusione ferv. per ¹/₄ h. v. cl.
Col. unc. decem adde:
Syr. Cichor. c. Rheo *unc. semis*
M. D. S. Quatuor vicibus absumatur, interpolando horam.

De innumeris, quas inivit Rheum, combinationibus non loquor, nec de morborum formis, quibus opponebatur, haec *anima hepatis.*

Tinctura Rhei, in adfectionibus pituitosis:

Rec. Tinctur. Rhei aquos. *unc. quatuor*
Aq. destill. Menthae pip. *unc. duas*
Elaeosacch. cort. Aurant. *drachm. unam.*
M. D. S. Omni bihor. cochl. cib. duo.

In leucorrhoea, pendente a statu pituitoso:

Rec. Flor. Chamomill. vulg. *unc. semis*
Inf. s. q. aq. ferv. p. ¹/₄ h. v. cl.
Col. unc. decem adde:
Tinctur. Rhei aquos. *unc. unam*
Elaeosacch. cort. Aur. *drachm. unam.*
D. S. Omni bihorio cochl. cib. tria.

Ricini oleum et emulsio seminum.

Semina ab uncia una, ad duas in emulsione; *oleum* ab uncia semis ad uncias duas pro singula dosi, vel merum, vel cum potu arabico, aut jusculis carnium tenuium, aut in mixturae oleosae forma. Interne:

Rec. Semin. Ricini probe excorticatorum et pellicula interiore spoliatorum *unc. duas*
Contrit. adfunde sensim
Aq. font. tepidulae *unc. sex*
ut f. l. a. emulsio.
Col. adde:
Syr. simpl. *drachm. sex.*
M. D. S. Intra duas horas absumendum.

In helminthiasi, cum magna simul nervorum agilitate:

Rec. Olei Ricini rec. press. *unc. duas*
Pulv. g. arab. q. s. ad perfectam olei subactionem
Syrupi Diacodii *unc. unam.*
Bene contritis sub continua subactione sensim affunde:
Aq. commun. *unc. duas*
— destill. Lauroceras. *drachm. tres.*
M. D. S. Intra tres horas absumatur.

In enteralgia saburrali:

Rec. Olei semin. Ricini rec. press.
— Amygdal. dulc. rec. press. *āā unc. unam et semis*
Pulv. g. arab. q. s. ad perfectam olei subactionem.
Bene contritis sub continua subactione sensim sensimque affunde:
Aq. commun. *unc. octo*
— destill. Laurocerasi *drachm. duas.*
M. D. S. Omni hor. vascul. coff. semis.

Eadem formula (cum extr. Hyoscyami) valuit in metritide peritonaeali, in enteralgia flatulenta.

Olei puri recenter pressi amplus fuit usus in verminatione, synochis gastricis verminosis, stimulum aut nullum, aut minimum, blandum exigentibus, in peritonitide, enteritide, colepatitide, oophoritide, nephritide, oesophagitide, etc., dysenteria.

Externe, pro clysmate, ad unc. duas, cum oleo Lini, addito quandoque sale culinari.

R o s a.

Aqua destillata Rosarum, qua vehiculum, tam interne, quam externe; e. gr. in catarrho pulmonum chronico stationario facto, cessatis vero ardoris sensu et constrictionis ad diaphragma, sputis sanguineis, aliisque irritationis signis, secretione itaque nunc dependente a majori nonnisi vasorum relaxatione. Ita in mixtura *Griffithii:*

Rec. Aq. destill. Rosarum *unc. sex*
Extr. Myrrhae aquosi *scrupul. unum*
Sulfat. Ferri *grana duodecim*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Rec. Aq. destill. Rosarum
— — communis *āā unc. duas*
Sulfat. Ferri *grana sex*
Extr. Myrrh. aquos. *scrupul. semis*
Aq. destill. Lauroceras. *drachm. duas*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. unum.

Externe, in tabe dorsuali incipiente cum fiente epilepsia:

Rec. Aq. destill. Rosarum *unc. sex*
— vegeto-mineral. Goulardi *unc. tres.*
M. D. S. Pro frictionibus ad lumbos et genitalia.

Rec. Aq. destill. Rosarum *unc. sex*
— vegeto-mineral. Goulardi *unc. tres*
— destill. Laurocerasi *unc. unam.*
M. D. S. Uti supra.

Mel Rosarum, cum decocto Hordei, vel infuso Salviae, addito quandoque Alumine; pro collutorio.

Rubus Idaeus.

Syrupus Rubi Idaei, in mixturis ex aqua aliqua destillata, cum elixir acido Halleri, tinctura robor. Whyttii, etc., ad unciam unam, grati saporis et coloris amoeni gratia.

Sabina.

Interne. Infusum a drachma semis, ad scrupulos duos, ad drachm. unam sensim adscendendo; in amenorrhöea chlorotica, crasi sanguinis prius correcta per martialia:

Rec. Frond. Sabinae *drachm. unam*
Consc. inf. s. q. aq. c. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. sex adde:
Extr. Aloës aquosi *grana*} *quindecim*
Aq. destill. Menth. piper.
Syr. simpl. *āā unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Externe. Pulvis, ad conspergenda condylomata, ulcera syphilitica, quandoque addito Mercurio praecipitato rubro:

Rec. Pulv. frond. Sabinae *unc. duas.*
S. Externe, ad ulcera syphilitica adspergendum.

S a l e p.

Decoctum, ex scrupulo uno, vel duobus, ad col. librae unius, librarum duarum; in diarrhoea:

Rec. Rad. Salep rud. tus. *scrupul. unum*
Coque c. s. q. aq. p. $^1/_4$ h.
Col. libr. unius adde:
Tinctur. Opii simpl. *gutt. quindecim*
Syr. Diacodii *unc. unam.*
D. S. Omni hora vasc. coff. semis.

Huic decocto addebantur aquae Laurocerasi drachmae tres, in blennorrhoea vesicali, vel etiam pro re nata, cum Nitro et Oxymelle, addebatur syrupus Diacodii, extractnm Hyoscyami. Sub finem coctionis addebantur grana quindecim rad. Ipecacuanhac. Idem decoctum cum uncia una succi Citri, vel drachma una Acidi tartrici subministrabat potum acidulum. Decoctum Salep adhibebatur quoque in catarrho laryngis chronico.

Salvia officinalis.

Externe. Infusum, ad unc. semis, vel drachmas sex, ad col. librae unius, pro collutorio.

Rec. Fol. Salviae off. *unc. semis*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. $^1/_4$ h. v. cl.
Col. libr. unius adde:
Boracis venet. *drachm. duas*
Mell. despum. *unc. unam.*
D. S. Collutorium.

Eadem ratione parabatur collutorium cum Acido sulf. dil., spiritu Cochleariae, tinctura Myrrhae, Melle rosato, cortice Peruviano, etc.; e. gr. cum Alumine, in scorbuto, in stomatitide propter laxitatem partium a morbo relictam; item in angina faucium, stadio quasi convalescentiae:

Rec. Fol. Salviae off. *unc. semis*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. $^1/_4$ h. v. cl.
Col. unc. decem adde:
Alum. crudi *drachm. semis.*
D. S. Collutorium et gargarisma.

Talis formula in usum tracta fuit contra isthmitidem phlegmonosam, abscessu sponte rupto, et copiosa inde plorante suppuratione. Addebatur quoque Mellis rosati uncia una.

In phaenomenis oris mercurialibus, post Sublimati usum:

Rec. Fol. Salviae off. *drachm. tres*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. 1/4 h. v. cl.
Col. unc. decem adde:
Boracis venet. *drachm. unam*
Mell. despum. *unc. unam.*
D. S. Collutorium.

In febre nervosa cum exanthemate aphthoso in cavo oris; cum Acido mur. dil., et Melle despum. Vide *Acidum muriaticum.*

Sambucus.

Interne. Infusum florum S. ex uncia semis; e. gr. in febri catarrheumatica:

Rec. Flor. Sambuci *unc. semis*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. 1/4 h. v. cl.
Col. librae unius adde:
Acetat. Ammon. solut. *drachm. unam*
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni hora vasc. coff. semis tepidule sumendum.

Infusum fl. Samb. sumebatur etiam e decoctis Althaeae, Graminis, Dulcamarae, porro cum infusis Chamomillae, Tiliae, etc., addito sale quodam cathartico, vel roob Sambuci.

Roob baccarum Sambuci addebatur mixturis, infusis diaphoreticis, ad unciam semis, unam, uncias duas.

Externe. Infusum florum S. pro fomentis, et pulvis flor. S. pro cucuphis, utraque forma vel simplici vel in unione cum Chamomilla, herba Hyoscyami, Arnica, Tritico, etc.

In parulide erysipelacea, erysipelate oedematoso:

Rec. Pulv. flor. Sambuci
Farin. Fabarum *unc. duas.*
M. redige in pulverem aequabilem.
S. Sacculo inclusus tepide adplicetur ad partem adfectam.

Santonicum.

Interne. Infusum, ex drachma una, vel duabus, ad col. unc. sex, vel octo, cum Senna; in helminthiasi:

Rec. Semin. Santonici *unc. semis*
Fol. Sennae alexandr. *drachm. duas*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. decem adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Uniebatur frequenter cum sale amaro, Arcano duplicato:

Rec. Semin. Santonici *drachm. tres*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Sal. amari *unc. semis*
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio vascul. coff. unum.

Unacum infuso Foeniculi, in doloribus flatulentis verminosis; cum infuso Rhei, in intermittente cum helminthiasi:

Rec. Semin. Santonici *drachm. tres*
Rad. Rhei chinens. *drachm. unam et semis*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. sex adde:
Syr. Cichor. c. Rheo *unc. unam et semis.*
D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

Ingrediebatur etiam electuarium *Stoerckii*, unacum Valeriana, Jalapa, Arcano duplicato, et Melle:

Rec. Pulv. semin. Santonici
— rad. Valerian. sylv. *āā drachm. unam*
— rad. Jalap. *scrupul. unum*
— Arcani duplicati *drachm. duas*
Roob Sambuci *unc. unam.*
M. f. electuarium.
D. S. Omni bihorio cochl. coff. unum.

Sapo alcalinus seu medicinalis.

Pilulae, ad drachmam, cum Felle Tauri, pulvere Rhei, extracto Cicutae cum Calomele, cum extracto Trifol. fibr., Cicutae, corticis Peruviani, etc.; c. gr. in tabe mesenterica, glandulis mesentericis duris et quasi lapideis:

Rec. Sapon. medicinal.
Extr. Trifol. fibr. *āā drachm. semis*
— Conii macul. *grana octo*

Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil. XXIV.
Consperg. pulvere eodem.
D. S. Omni bihorio pilulae tres.

In melanchlorosi anaemorrhoide:

Rec. Sapon. medicinal. *drachm. unam*
Extr. Cicutae *grana duodecim*
Pulv. rad. Rhei chinens. q. s. ut f. pil. XXXVI.
Consperg. pulvere Liquirit.
D. S. Omni bihorio pilulae tres.

Rec. Sapon. medicinal. *drachm. unam*
Extr. cort. Peruv.
— Trifol. fibr. *āā drachm. semis*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil. pond. gran. trium.
Consperg. pulvere eodem.
D. S. Uti supra.

Sapo domesticus, et Sapo venetus.

In solutione, balneis ad libr. unam alteramve addebatur, in scabie, tinea, porrigine larvali, etc.

Rec. Sapon. commun. *unc. semis*
solve in:
Aq. font. ferv. *libr. una.*
D. S. Pro lavacro capitis.

In hypertrophia lienis:

Rec. Sapon. commun. *unc. unam*
Coq. c. aq. font. *libr. una.*
D. S. Unacum decocto globulorum martialium misceatur aquae pro balneo.

Clysmata ex:

Rec. Saponis commun. ras. *unc. semis*
solve in:
Aq. font. ferv. *unc. octo*
adde:
Olei Lini *unc. duas.*
M. D. S. Clysma.

Rec. Decocti Hordei l. a. parati *unc. decem*
solve intus:
Saponis commun. *drachm. sex*
Mell. commun. *unc. duas.*
M. D. S. Clysma.

In otitide rheumatico-lymphatica lenta:

Rec. Sapon. veneti *scrupul. unum*
solve in:
Aq. font. ferv. *unc. tribus.*
M. D. S. Ad depurandum meatum auditorium externum.

Sapo niger.

Solummodo externe in psora sicca; omni enim die unciae duae adhibebantur ad cutim depurandam: quae lavacra continuabantur per dies sex consecutivos, dein vero balneo universali sumto.

Saponaria.

Decoctum, in infarctu hypochondriorum:

Rec. Rad. Saponar. *unc. unam*
Consc. coq. c. s. q. aq. p. $\frac{1}{2}$ horae
Col. fortiter expr. libr. unius adde:
Acetat. Lixiv. solut. *drachm. tres.*
D. S. Epicratice sumatur.

Sarsaparilla.

Decoctum ex uncia semis-duabus, pro colatura librarum duarum. Praescribebatur communissime in syphilide, cum decocto Dulcamarae, in complicationibus rheumaticis, arthriticis; cum Jacea, in complicationibus exanthematicis scrofulosis; cum ligno Guajaci, unacum Acido nitrico.

Rec. Rad. Sarsaparill. *unc. semis*
Caul. Dulcamar. *drachm. duas*
Consc. coq. c. s. q. aq. p. $\frac{1}{2}$ h.
Col. libr. unius adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni hora vascul. coff. semis.

Rec. Rad. Sarsaparill. *unc. unam*
Consc. coque c. s. q. aq. c. p. $\frac{3}{4}$ h.
adde:
Herb. Jaceae rec. *drachm. unam*
Continuetur coctio per alium quadrantem horae

Col. libr. duarum adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Sumatur ad mane.

Decoctum *Zittmanni* in inveterata lue, praesertim impetiginosa, mercurialibus jam nimis tractata:

Rec. Rad. Sarsaparill. *unc. duas*
Aq. font. *libr. quatuor*
Adde sacculo includenda:
Aluminis saccharati *drachm. duas*
Calomel. laevig. *scrupulos duos*
Cinnabaris Antimonii *drachm. semis*
Coque per horam integram
Sub finem coctionis infunde:
Fol. Sennae alexandr. *drachm. tres*
Rad. Liquirit. *drachm. duas*
Semin. Anisi *scrupul. duos.*
Stent in digestione per ½ horae, et detur colatura librarum duarum.
S. Decoctum *Zittmanni* fortius.
Intra nychthemeron consumatur.

En, decoctum *Zittmanni* mitius, quod die altero ordinabatur:

Rec. Residuum decocti *Zittmanni* heri parati
Radic. Sarsaparill. consc. *unc. semis*
Coq. c. s. q. aq. c. p. ½ h.
Sub finem coctionis infunde:
Cort. Aurant. (Citri) *drachm. semis*
Rad. Liquirit. *drachm. unam*
Col. libr. duarum detur.
S. Epicratice.

Aut simpliciori modo, colaturae decocti addebantur elaeosacchari cort. Aurant. (Citri) drachmae duae.

Scilla marina.

Interne. Pulvis, et pilulae, ad grana decem; in hydrope ascite:

Rec. Rad. Scillae marin. ras.
Pulv. fol. Digital. purp. *āā grana decem*
Sacch. albi *drachm. duas.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. decem.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

Addebantur his pulveribus etiam Kermetis mineralis grana sex, etc.

Pilulae in hydrope ascite:

> *Rec.* Rad. Scillae marin. ras. *scrupulum unum*
> Extr. Aloës aquosi *drachm. semis*
> Pulv. Acori q. s. ut f. pil. XXIV.
> Consperg. pulvere eodem.
> D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Sed majores doses Scillae minus urinam movebant quam minores.

Oxymel Squillae ad unc. unam, uncias duas, in mixturis diureticis, unacum remediis expectorantibus, etc., in decoctis Graminis, Althaeae, Cichorei, Dulcamarae, Ononidis spin., et aliis.

Externe, forma unguenti; in hydrope:

> *Rec.* Unguent. aromat. *unc. unam*
> Extr. Scill. marin.
> Tinct. Cantharid. *āā drachm. semis.*
> M. f. unguentum.
> D. S. Pro frictione in regione renum.

Pulvis, methodo endermatica adplicitus:

> *Rec.* Pulv. Scillae marin. *grana sex*
> Sacch. alb. *scrupul. duos.*
> M. f. pulv. aeq. div. in dos. duas.
> D. S. Pro usu externo.
> Adspergatur plaga ex vesicante relicta, mane et vesperi (vesicans autem positum fuit in quaestionis casu, infra umbilicum, sinistrorsum magis).

In casu ascitis et anasarcae, ex adplicatione Scillae endermatica, urinae fluxus potenter adauctus est, quum ad grana 44 interdiu ore sumta, lotium parcissima stillasset copia. Sed memorari decet, hanc rationem adplicandi Scillam adeo dolorificam fuisse aegro, ut febrim quoque excitasset.

Scolopendrium.

Herba Scolopendrii, s. Linguae cervinae, s. Lonchitidis, s. Phyllitidis, si ea, quae de Lichene islandico dixi, comprehenderis, commendari secundum experientias in Clinico factas,

valde meretur in casibus, ubi congestio aut inflammatio ad pectus Lichenis isl. adhibitionem vetat. Hocce remedium clarissimi Doctores Galiciani *Stransky*, *Babel* et *Kellermann* ex oblivionis quasi sepulcro eripuerunt *). Profero casum evolutae phthiseos tuberculosae in stadium alterum propendentis cum phlogosi lenta pulmonis atque pleurae, in quo decoctum Scolopendrii, quotidie ex uncia semis-una paratum, praemissis venaesectionibus, et penes usum aquarum Recobariensium cum lacte, purgantia interpolata, et revulsiones cum unguento stibiato et emplastro vesicante, symptomatum morbosorum tantam effecit imminutionem, ut aegra triginti annos nata, melius jam nutrita et menstruis novitus salutata domum redire potuerit. Villicum quoque adducere valerem, qui ex pneumophthisi tuberculosa convaluit, ni fausti hujus eventus partes Sphaerococco serius adhibito magis, quam Scolopendrio forent attribuendae. In tertio vero pneumophthiseos tubercularis exulcerantis casu nec decoctum Scolopendrii efficere quid valuit.

Scopolina atropoides.

Haec planta ob analogiam, quam cum Atropa Belladonna et Hyoscyamo habet, in memoriam *Scopolii*, detectoris ejus, qui plures annos in Carniolia degebat, Atropa aut Hyoscyamus *Scopolii*, nunc Scopolina atropoides appellatur (tollkrautähnliche Scopoline. *Schultes*, österr. Flora. *Reichenbach*, Flora germ. excurs. Lips. 1830. *Röhling J. C.*, Deutschlands Flora, bearb. v. *Mertens* u. *Koch*, Bd. II., Frankf. a. M., 1826).

Alia synonymia: Scopola carniolica (*Jacquin*, obs. I., tab. 20); Atropa caule herbaceo foliis ovatis integris, calycibus erectis, fructu capsulari (*Scopoli*, Flora carniolica. Ed. prima, pag. 288); Hyoscyamus Scopoli (*Linné C.*, Syst. veg. Ed. 14. cur. *J. A. Murray*, Gotting., 1784, p. 221. — *Scopoli*, Flora carniol. Ed. II., Tom. I., p. 158. — *Host*, Flora austr. Vol. I., p. 293); Solanum somniferum alterum (*P. A. Mattioli*, edit. germ.

*) Med. Jahrb. d. k. k. öst. St. XVI. Bd. 2. St. S. 304. — *Lippich*, Annal. schol. med.-clin Patav. Ser. II. Fasc. 1. p 138; et Ser. II. Fasc. 2. p. 70. 160. 161. — *Jos. Brenner Ritter v. Felsach*; practische Heilkunde. Salzburg, 1842. p. 31.

cur. *G. Handsch.* Venet., 1563, p. 466, cum Icone. — Syst. nat. 3., p. 235. — Solanum somniferum bacciferum *Bauh.* pinx. 166); Scopola trichotoma (*Mönch*).

Classificatio. Pentandria, Monogynia. Familia naturalis: Blattariae *Scopoli.* — Luridae *Linn.* — *Jussieu*, Class. VIII., Ordo 41. Solanaceae. — *Decandolle:* Exogenae, Subclassis III., Corolliflorae, Ordo 99. Solanaceae. — Solanaceae, I. Capsuliferae. Conspect. method. plant. natur. *Dr. C. J. Perleb*, pag. 23. — Synpetalae; Ordo II., Lobiflorae, Fam. Solanaceae, A. Datureae, *Reichenbach* l. cit.

Descriptio plantae, secundum *Scopoli.* Radix perennis, transversa, nodosa, crassa, ramosa, flexuosa, pollicis crassitie. Caulis tripedalis, herbaceus, teres, glaber digiti crassitie, trifidus et bifidus, ramis dichotomis. Folia ovata, oblonga, digiti longitudine; ima integerrima, superiora non raro sinuata aut repanda. Pedunculi uniflori, penduli, ex axillis et alis, debiles, biunciales. Calyx pendulus, glaber, quinquedentatus, persistens, amplior fructu, et quasi inflatus. Corollae color et figura eadem ut in Atropa Belladonna. Stamina attenuata, villosa. Antherae biloculares, luteolae. Stylus deciduus, staminibus longior; stigmate capitato, subbifido, pulvinato, et in apice trigona foveola notato. Germen sessile, ovatum. Capsula tenuis, diametro quinque linearum, calyce minor, difficulter dehiscens; operculo signato lineis duabus cruciformibus. Semina in singulo loculo 20—24, receptaculo orbiculato adfixa. Majo floret, et Junio fert fructum (in supracitato opere *Mattioli* depictum). Crescit in montibus Carnioliae, ad Auersperg, in montibus Mokriz et Krim prope Labacum, et per totam hujus Ducatus partem, ad Goritiam usque, ubi *Mattioli* eam collegit.

Hucusque *Extractum* nonnisi, et quidem omnium primum a *Lippich* in usum medicum tractum fuit. Librae 48 pond. civ. Vienn. herbae recentis cum radicibus ad normam Ph. Bor. rec. expressae dederunt libras 22, 25 succi (inspissati). Hoc vero cocto, et eliminato, cujus pondus erat librae unius et semis, albumine vegetabili, liquida residua evaporata largiebantur extracti uncias 8, 25. Hujus praeparati color est valde obscurus, solutio aquosa turbida, odor haud inamoenus, neque qualis virosis

plantis adhaeret; sapor valde amarus. Exactior analysis chymica adhuc desideratur.

Herbae recentis et extracti copia considerabilis sine damno ferebatur in cuniculis, qui alias plantas acres, hominibus, canibus ac felibus infestas, uti Stramonium, Hyoscyamum, Belladonnam impunes ferunt.

Lippich, qui experimentum in se ipso instituit, ex grano uno extracti Scopolinae sumto, praeter alia expertus est ariditatem et faucium dolorem cum continuo deglutiendi nisu, imminutionem salivae, mentis aliquam exaltationem, quamdam animi hilaritatem, spectrorum lucidorum visionem, aquae taedium et potulentorum aliquantum arduam deglutitionem, somnolentiam, citiorem debita hora somnum, initio tamen scintillis igneis in oculo visis, et electricis quasi succussionibus interruptum. In nonnullis aliis etiam delirium ipsum, faucium non levem phlogosim, pupillae insignem dilatationem et exanthema fugax, scarlatinae simile, in tota cute erumpens, produxit. Ex analogia et effectuum similitudine, quas Belladonna producit, supra laudatus Auctor omnibus illis in casibus, quibus Belladonna efficax inventa fuit, Scopolinam tentavit; ideoque primum qua prophylacticum in scarlatinam adhibuit. Nec spes fefellit, si e 13 casibus puerorum contagio scarlatinae expositorum, qui tamen sub usu hujus remedii salvi manserunt, firme jam argumentari licet. Talia pericula Lubeanae facta sunt.

Sed vocat schola clinica Patavina. Ulteriora experimenta instituit idem Auctor in morbis cum excedente salivatione, et postea in faucium ulcera et quasi semper stupendo cum effectu direxit. Salivationem ex Mercurii usu intra dies tres communiter profligare licuit; idem remedium etiam contra aphthas mercuriales, quamvis minori quoad tempus praestantia, proficuum erat. Idem valet de Scopolinae eximiis dotibus in tollendum oris foetorem ex ulcere, in sananda ulcera ipsa in faucibus residentia, sive ab hydrargyrosi, sive ab indole syphilitica dependeant. Sed et solum hocce remedium eosdem salubres prodidit effectus, quin alia adhiberentur adminicula. Cito et tuto tulit isthmitidem et stomatitidem cum ptyalismo; sanavit scrofulosam ozaenam et saniosam rhinorrhoeam, egregiam itaque sibi vindicans virtutem, serosas mucosae tunicae membranae secretiones immi-

nuendi, inspissandi et exsiccandi; valuit ad penitus profligandum morbum, qui mensem jam duraverat, sequelam nimirum diutius remanentem influentiae exantlatae catarrhosae, turgorem tonsillarum insignem atque ruborem dilutum: consumta vero erant in hocce casu grana sex intra septem dies, donec dilataretur pupilla. In casu syphilidis universalis, salivatio ex paucis cyanureti Hydrargyri granis exorta, brevi unacum syphilide e solius Scopolinae usu devicta fuit. In altero simili, sed terribiliori adhuc casu non tantum salivationem, remediis solitis ac regimini non cedentem, et dolores osteocopos sat cito sustulit, sed ulcera intra tres dies sanavit. Absque Mercurio, et cum sola Scopolina, penes decoctum Sarsaparillae, et hirudines ad latera colli positas, syphilitica faucium ulcera, et dolores osteocopi penitus evanuerunt. Et alium haud levem syphilidis casum proferre valerem, qui sat abunde probaret egregiam Scopolinae in sanandas certas syphilidis formas, praecipue cum ulceratione devastante incedentis, virtutem.

Extractum Scopolinae atropoidis praescribebatur in pulvere:

Rec. Extr. Scopolin. atropoid. *grana tria*
Sacch. alb. *drachm. duas.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. novem.
D. S. Omni bihorio pulv unus.

Sed majoris in assumendo facilitatis gratia, lubentius praescribebatur pilularum forma:

Rec. Extr. Scopolin. atropoid. *grana quatuor*
— Liquirit. *scrupul. semis*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil. decem.
D. S. Omni bihorio pilula una.

Rec. Extr. Scopolin. atropoid. *grana quatuor*
— Taraxaci *scrupul. unum*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil. XVI.
D. S. Omni bihorio pilulae duae — tres.

Ordinabatur quoque cum mercurialibus, ut diutius praecaveretur salivatio; quin imo, non obstante salivatione, Mercurius sublim. corros., extracto Scopolinae, tanquam antisialagogo nuptus, dari adhuc aliquo tempore continuabatur. En, formulam:

Rec. Mercurii sublim. corros. *grana duo*
Extr. Scopolinae atropoid. *grana sex*
Micae panis albi *drachm. semis*

Sacch. albi q. s. ut f. pil. XVI.
Consperg. pulvere Liquirit.
D. S. Omni bihorio pilula una (consumendae igitur quatuor in die).

Non conticendus est casus isthmitidis catarrhalis rheumaticae pustulantis succedente syphilide universali, in quo praeter usum externum Mercurii sublimati corrosivi, extractum Scopolinae atrop. interne dabatur. Vix erant hujus remedii consumta grana duo, quum in conspectum venirent capitis obnubilatio, pupillae dilatatio, eruptio exanthematis in pectore scarlatinae similis, intra noctem penitus evanescentis, faucium siccitas, eorum profusam secretionem restringens. Penes continuatum Sublimati usum, sanatio perfecta, licet lente obtinebatur *).

Sebum ovillum.

In emplastro, cum Cerussa alba.

Secale cornutum.

Pulvis a scrupulo semis, ad duos; in metrorrhagia:

Rec. Pulv. Secalis cornut. *scrupul. unum*
Sacch. alb. *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. quatuor.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

Farina secalina.

In cataplasmate, cum farina semin. Lini; cum herba Malvae et Hyoscyami; cum Melle; in sinapismis, cum farina sem. Sinapis.

*) Plura de hocce remedio scripsit *Lippich* in fastis medicis austriacis „Med. Jahrb. d. k. k oest. St. XX. Bd. 4. St. S. 582 fg.“ — Adeundae quoque forent paginae 149. 150. 151. 152. Annal. cit. ejusdem auctoris Ser. II., Fasc. 1., et paginae 50. 51 58. 59. 115. 147. 148. 150. eorumdem Annal. Ser. II. Fasc. 2. — *Joannes Sterzinger*, Dissertatio inauguralis de Scopolina atropoide. Patavii, 1837. — Dr. *Franciscus Koestl*, Speculum pharmacologicum. Patavii, 1839. — Dr. *Brenner* in op. et pag. cit. ita se exprimit: „Das von Prof. *Lippich* in Padua empfohlene Extr. Scopolinae that auch hier von mir angewendet gegen Mercurialsalivation gute Dienste, indem ich sie damit in der Hälfte Zeit als durch andere Mittel bezwang.“

Senna.

Infusum ex drachma una, ad unc. semis, in connubio cum salibus diversis:

Rec. Fol. Sennae alexandrin. *drachm. tres*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. $1/4$ h. v. cl.
Sub finem infusionis solve:
Mannae elect. *unc. unam*
Col. unc. octo adde:
Sal. Seignett. *unc. semis*
Syr. Cichor. c. Rheo *unc. unam.*
M. D. S. Tribus vicibus sumatur, interpolando horam.

Eadem formula cum Sale amaro, Cremore Tartari, Tartaro tartarisato, etc., loco Salis Seignetti.

Cum infuso Chamomillae, ad evitanda tormina:

Rec. Fol. Sennae alexandr. *drachm. tres*
Flor. Chamomill. *unc. semis*
Inf. s. q. aq. ferv. p. $1/4$ h. v. cl.
Col. unc. decem adde:
Syr. Cichor. cum Rheo *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Eodem modo cum infuso Foeniculi praescriptio placuit.

Aqua laxativa, et Electuarium lenitivum Ph. Austr.

Ad unciam unam, unam et semis, uncias duas pro singulo haustu lubenter ordinabantur.

Sinapis.

Usus externus farinae Sinapis, pro sinapismis scopo revellente et epispastico. Adplicabatur pasta Sinapis ad plantas pedum, in statu febrium nervoso; pro necessitate, in variola, ad cutis activitatem sollicitandam; in arthragra, eo scopo, ut languens et aegro alias solita arthragra pedalis suscitaretur, aut ut medens eam imitaretur; ad adjuvanda menstrua; in apoplexia cum comate somnolento; in cholera orientali; in quotidiana cum affectione gastrica tumoreque lienis (sub stadio frigoris). Ad suras, in cholera quoque orientali; in statu febrium nervoso magis adhuc urgente.

Rec. Farin semin. Sinapis
— secalinae *āā unc. quatuor*
Aceti vini opt. q. s. ut f. pasta mollis.
D. S. Pro sinapismo ad plantas pedum.

Rec. Farin. semin. Sinapis *unc. duas*
— secalinae *unc. quatuor*
Aceti vini opt. q. s. ut f. pasta mollis.
S. Sinapismus.

Cum Acido nitrico-muriatico diluto: in hepato-splenemphraxi subinflammatoria febrili accedente hydropericardio incipiente et suspicione hydrothoracis:

Rec. Farin. semin. Sinapis *unc. quatuor*
— secalinae *libr. unam*
Acidi nitrico-muriat. dil. *unc. semis*
Aq. comm. q. s. ut f. pasta mollis.
D. S. Adplicetur a mediis suris, usque ad integras pedum plantas.

Cum Conio maculato, forma cataplasmatis, in eodem casu, hepate tumido et sub attactu dolente:

Rec. Herb. Conii macul. *unc. semis*
Farin. semin. Sinapis
— secalinae *āā libr. semis*
Aq. commun. q. s. ut f. cataplasma.
D. S. Adplicetur regioni hepatis, tepidum omni dimidia hora.

Pediluvia sinapata, ubicunque scopus erat, humorum congestiones ab organis nobilioribus ad partes remotiores derivandi, suppressa menstrua revocandi. Farina sem. Sinap., aut sola, aut cum Aceto vini opt., ad unc. duas, tres, etc. aquae calidae pro pediluvio addebatur; e. gr. in haemoptysi cum aortectasi:

Rec. Farin. sem. Sinap. contus. *drachm. duas*
Aceti vini optimi *libr. duas.*
D. S. Infundatur aquae pro balneo pedum.

Maniluvia sinapata non spernenda subsidia erant sub accessibus ex cordis vitiis.

Soda acetica,
s. Terra foliata Tartari.

Ad drachmam unam alteramve ex decocto Althaeae, cum aqua Laurocerasi; in amenorrhoea retentionis locum habuit.

Bicarbonas Sodae.

Potus *Riverii* praescribebatur:

Rec. Bicarbonat. Sodae
Acidi tartrici *āā drachm. unam*
Sacch. albi *drachm. duas.*
M. f. pulv. aeq. div. in dos. sex.
D. S. Sumat pulverem unum sub conatu ad vomitum.

Reliqua vide sub titulo *Acidum tartricum.*

Cum succo Citri:

Rec. Bicarbonat. Sodae *drachm. unam.*
Div. in dos. aeq. sex.
S. Nr. I.

Rec. Succi Citri rec. press. *unc. unam.*
S. Nr. II.
Fiat potus limonatus cum parte una pulveris Nr. I., et sacch. albi s. q., cui mox ante haustum ad datur sexta pars Nr. II.

Cum acetate Morphii, in bronchitide lenta cum nota verminosa; quum post sorbillos glaciales vomitus adhuc et majori intensitate persisteret, tussis etiam valdopere sese exasperasset, ut mitigaretur nunc et altera:

Rec. Acetat. Morphii *gran. semis*
Bicarbonat. Sodae *drachm. semis*
Sacch. albi *drachm. unam.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. sex.
D. S. Nr. I.

Rec. Succum Citri *unius*
Sacch. albi *unc. unam.*
M. D. ad lagenulam.
S. Nr. II.
Pulvis ex Nr. I., immittatur vitro cochlearibus tribus aquae repleto, soluto pulvere superaddatur cochlear unum ex Nr. II., bibatur sub effervescentia, omni bihorio.

Soda muriatica, s. Sal communis.

Interne. Salis culinaris uncia semis jusculis admiscebatur, ubi taenia solium suberat.

In tertiana duplici cum nota gastrica et splenemphraxi:

Rec. Decocti Taraxaci ex *unc. duabus* parati *unc. decem*
adde:
Sal. culinaris *drachm. sex*
Syr. Cichor. c. Rheo *unc. unam.*
D. S. Epicratice.

In haemoptysi inflammatoria cum tuberculis et amenorrhoea emansionis (vide *Acidum hydrocyanicum*).

Rec. Sal. culinar. *drachm. sex*
solve in:
Aq. commun. *unc. tribus.*
M. D. S. Sumatur illico, in vicibus duabus.

Externe. Pro clysmate (ad unc. semis-unam) ex decocto Hordei, Lini, etc.; pro pediluviis (ad unc. duas) ad sollicitanda menstrua. In indurationibus glandularum colli frictiones ope solutionis aquosae concentratae Salis culinaris, nec non balnea tepida eundem salem continentia, et in hypertrophia testium residua ex orchitide blennorrhoica, balnea et fomenta similia valde proficua erant. Praeterea ingrediebatur unguenta, e. gr. unguentum *Roncalli* contra scrofulas.

Soda sulfurica, s. Sal mirabilis Glauberi.

Ubi simul alvus movenda erat, ex decoctis solventibus, ad unc. unam; cum Manna, in solutione.

Rec. Aq. font. *libr. duas*
Succi Citri *unc. unam*
Sulf. Sodae *unc. semis*
Sacch. albi *unc. duas.*
M. D. S. Pro potu.

Solanum tuberosum.

Externe, in anaesthesia paraplegica:

Rec. Rad. Solani tuberosi *libr. unam*
Decortica, conscinde in frustula minima, et coque in pultem.
S. Addatur aquae calidae, pro pediluvio.

Species aromaticae.

Externe. In enteralgia flatulenta febrili cum accedente hydrope ascite:

Rec. Specier. arom. *libr. unam et semis*
Furf. Tritici *libr. unam.*
M. claude in sacculum.
S. Adplicetur ad abdomen.

In myositide traumatica intercostali cum nota catarrhali, quum post hirudines et epithemata frigida, dolores eodem perstarent tenore: epithemata humida ex libra semis specierum arom. cum aq. communis et Aceti vini opt. unciis quatuor adplicabantur regioni adfectae. Sed fomenta sicca ex iisdem Speciebus magis conduxerunt.

Species pro decocto lignorum.

In syphilide:

Rec. Speciernm pro decocto lignorum *unc. duas*
Consc. coq. c. s. q. aq. c. p. horam
Sub finem coctionis infunde:
Rad. Liquirit. consc. *unc. unam*
Stent in infusione calida p. $\frac{1}{4}$ h.
Col. libr. unius exhibeatur.
S. Pro potu.

Sphaerococcus confervoides, et Sphaerococcus crispus.

Sphaerococcus crispus, s. Fucus crispus *Linn.*, s. Lichen (improprie) Carageen (krauser Tang) dictus, nuper ex maris hybernici allatus, et Sphaerococcus confervoides, venetarum lacunarum alga, contra phthisin tubercularem, et quidem magis initiatam, ubi congestio aut inflammatio ad pectus Lichenis islandici usum vetat, prospero et in singulis quibusdam casibus prosperrimo cum eventu adhibiti fuerunt. Ut qui majorem Jodi, Bromi salisque marini copiam tenet, Sphaerococcus confervoides praeferebatur illis in casibus, ubi, uti in phthisi tuberculari, non adeo exulcerata evenit, scopus erat praecipuus, materiam tuber-

cularem pro possibili resolvendi absorbendique. Resarciendae vero substantiae deperditae, ergo nutriendo magis conveniebat Sph. crispus, gelatina magis dives. Prostant exempla pneumophthiseos tubercularis ope unius alteriusve algae sanatae, sed adeant lectores cit. Annal. schol. med.-clin. Seriem II, Fasc. 2, pag. 160 et 161, et Ser. II, Fasc. 1, pag 138; ne nimis, aut obscuri quid dicam. Quadriennii cursu (ab anno scilicet 1837/38, — 1840/41) quatuor alios insuper, ni plures numeravi casus similes, felicis eventus, ad quem consequendum Sphaerococcus confervoides praeprimis egregiam suam contulit operam. Sed illis in terris balsamum vitae, pulmonibus manna. aër dulcis spirat, temperatusque.

Sphaerococcus crispus praescribebatur sequenti modo:

Rec. Sphaerococci crispi *drachm. unam*
Coque c. s. q. aq. c. p. ¼ h.
Col. libr. unius adde:
  Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Epicratice sumatur.

Vel, praesertim in haemoptysi inflammatoria, etc.

Rec. Sphaerococci crispi *drachm. unam*
Coq. c. s. q. aq. c. p. ¼ h.
Col. libr. unius refrig. adde:
  Aq. destill. Laurocerasi *drachm. duas*
  Syr. simpl. (s. syr. capill. Vener.) *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

Sphaerococcus confervoides:

Rec. Sphaerococci conferv. *drachm. unam*
Coq. c. s. q. aq. c. p. ¼ h.
Col. unc. decem adde:
  Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Epicratice sumatur.

Rec. Sphaerococci confervoid. *drachm. quatuor*
Coq. c. s. q. aq. c. p. ¼ h.
Col. unc. decem refrig. adde
  Aq. destill. Laurocerasi *drachm. duas*
  Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Vel cum infuso Digitalis purpureae; c. gr. in tracheo-bronchopneumonitide lenta tuberculari:

Rec. Sphaerococci confervoid. *drachm. unam*
Coque c. s. q. aq. p. $^1/_8$ h.
Infunde:
Fol. Digital. purp. *grana quindecim*
Stent in infusione ferv. p. $^1/_4$ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Syr. Diacodii *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio cochl. cib. duo.

Leguntur apud *Dioscoridem, Galenum, Plinium* Musci marini et algarum in genere virtutes laudatae in podagra. Saeculo decimo sexto innotuit Corallinae et marini Musci vis vermifuga, licet et antea vulgo non fuerit ignota et anno 1770 prima experimenta fuerunt tentata circa speciem ad oras insulae Corsicae communem, cui Corallina corsicana seu Fucus Helminthochorton per eminentiam tribuebatur nomen. Per Franciam, Germaniam et per alias terrarum ditiones merita divulgata, ad sidera usque ferebantur. Sed ignorantia in causa fuit, aut fraus, quod loco Fuci Corsicani in commercium introduceretur convolutum illud impurum ex algis marinis, uti ex Sphaerococco coronopifolio, musciformi, et centenis aliis, nonque ex diversis zoophytis et zostera constans. Quid insuper, quando corsicanum litus paupertate Corallinae suae famosae laboret, exhaustum: quales voces audiuntur? Id quod medicorum quis suspicabatur, virtutem anthelminthicam Fuco non solum corsicano, verum et omnibus marinis algis inhaerere, assiduus naturae scrutator et eminens algologus Venetus *Dr. J. D. Nardo* experimentis cum iisdem institutis comprobavit, ut itaque consultius esset, usui medico accommodare algas lacunarum venetarum recentes, loco illius Fuci corsicani, quasi semper impuri, decompositi, male conservati. Idem medicus ab anno 1828 ulteriores circa hoc argumentum indagines instituens, anno 1832 Eruditorum Congregationi, quae Viennae locum habuit, proposuit algarum marinarum oleum empyrcumaticum, adhibendum guttatim, solutum in oleo Ricini, propinandum etiam in gelatina algarum earumdem, vel in bolos redactum; quod in casibus verminationis pertinacis, in individuis praeprimis cum infarctibus scrofulosis salutare inventum fuit.

Veluti ex variis algis gelatina formatur, cibo inserviens populis septentrionalibus, ita et quasi omnes venetarum algae, uti Fuci, Sphaerococci, etc. gelatinam largiuntur, qua Sphaerococ-

cus acicularis omnium ditissimus est. Haec vero alga a medicis venetis utilissima deprehendebatur in phthisi pulmonali indolis scrofulosae, in quibusdam diarrhoeis cum infarctibus abdominalibus, in tenellorum verminatione, tabe mesenterica et aliis.

Fucus, seu Sphaerococcus crispus ex Hibernia adveniens quoad gelatinae copiam multo inferior est Sphaerococco aciculari lacunae venetae, qui et illo majorem vim exserit antiscrofulosam; magis vero adhuc inferior est quoad Jodii et Bromi copiam, Sphaerococco confervoide, Fuco vesiculoso, Fuco spirali, Ulva Lactuca et aliis, quae veneto ex mari depromuntur, et a venetis praesertim medicis variis scrofularum formis, phthisi tuberculosae, verminationi, ulceribus scrofulosis, etc. plaudibili cum successu opponuntur.

Formae pharmaceuticae, sub quibus adhiberi possunt algae, forent, uti jam dixi, decoctum, pulvis simplex, vel unacum Melle in electuario, gelatina vel simplex, vel cum syrupo, vel pro clysmate in solutione. Oleum empyreumaticum unacum oleo Ricini, vel in bolis, guttatim, ad drachmam unam de die. Cataplasma. Stragula et pulvinaria algis siccis farcta phthisicis utique sunt grata, mare redolentia. Pulvis nonnisi ex algis bene exsiccatis obtineri potest; decoctio exigit tempus plus minusve protractum, secundum textum qui algam componit, et pronti plus aut minus calori resistunt: ita ut pro nonnullis simplex infusio cum aqua fervida requiratur, pro aliis iterum digestio per integrum diem, alterumve protrahi debeat. Nuper clar. *Nardo* balnea marina algis impraegnata summopere commendavit.

Nosse vero oportet, algas momento fructificationis, quo maxima efficacia praeditae sunt, debere colligi, dein lavari ab immunditie, luto aliisque corporibus eisdem adhaerentibus. Lavatae in aqua marina, et antequam ineant aliquem corruptionis gradum, aëri, ut exsiccentur, committuntur; siccatae vasis includuntur. *)

---

*) Circa haec remedia adeant lectores cit. Annal. Ser. II. Fasc. 1. pag. 159. 160. 162. — *Domenico Dr. Nardo*, Considerazioni generali sulle alghe, loro carattere, classificazione, composizione chimica e applicazione alla medicina, etc. Venezia, 1835. — *Dr. Fr. Koestl*, op. cit. pag. 116 seq. — De Fuco crispo

Stibii oxydulum hydro-sulfuratum aurantiacum, s. Sulfur auratum Antimonii.

Pulvis, et pilulae, in quibus a quadrante grani ad granum integrum, tria, sex, octove dosis singula, juncta simul cum Calomele, extractis diversis narcoticis, Scilla, Guajaco subministrabatur; e. gr. in catarrho inveterato:

Rec. Sulfur. aur. Antimonii *grana sex*
Calomel. laevig. *grana tria*
Pulv. rad. Rhei chinens. *scrupul. unum*
Sacch. albi *drachm. unam*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. sex.
D. S. Omni bihorio pulvis unus.

Ita quoque in hepatemphraxi; absque Rheo, in peripneumonia, fracta jam prius congestione; in rheumatismo chronico, cum Guajaco; in hydrope, cum Squilla.

In arthritidis accessu ad finem vergente:

Rec. Sulf. aur. Antimonii
Extr. Hyoscyami *āā grana quinque*
— Taraxaci q. s. ut f. pil. XX.
Consperg. pulvere Liquirit.
D. S. Omni bihorio pilula una.

In catarrho pulmonum chronico, cum sputo tenaci, haud copioso, difficili:

Rec. Sulf. aur. Antimon.
Extr. Hyoscyami *āā grana quatuor*
Roob Sambuci q. s. ut f. pil. sex.
Consperge pulvere Liquirit.
D. S. Uti supra.

Cum Ipecacuanha, in rheumatismo; cum Belladonnae extracto, in broncho-pneumonitide convulsiva; cum Aconito, in rheumatismo, in hydropericardio cum catarrho; cum Conio macul., in hemicrania rheumatica; etc.

---

versantur paginae 347 — 350 operis intitulati: Die neuern Arzneimittel, ihre physischen und chemischen Eigenschaften, Bereitungsweisen, Wirkungen auf den gesunden und kranken Organismus und therapeutische Benützung. Von *Victor Adolf Riecke*, Dr. Med. etc. Zweite Aufl. Stuttgart, 1840.

Stibii oxydulum hydro-sulfuratum rubrum, s. Kermes mineralis.

Pulvis, et pilulae, uti praeparati praecedentis:

Rec. Kermet. mineral. *grana tria*
Sacch. albi *drachm. unam.*
M. f. pulv. aeq. div. in dos. sex.
D. S. Omni bihorio pulv. unus.

Eodem modo cum extracto Hyoscyami, Dulcamarae, cum Calomele.

In catarrho chronico et asthmate (emphysemate):

Rec. Kermet. mineral. *grana octo*
Extr. Trifol. fibr. *drachm. unam*
Pulv. Calami arom. q. s. ut f. pil. pond. gran. duorum.
Consperge pulvere Liquirit.
D. S. Omni bihorio pilulae tres.

In bronchitide catarrhali, ad pacandam tussim, et promovendam expectorationem:

Rec. Kermet. mineral.
Extr. Aconiti Napelli *āā grana quinque*
— Liquirit. *scrupul. unum*
Pulv. rad. Liquirit. q. s. ut f. pil. quindecim.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Rec. Kermet. mineral. *grana sex*
Roob Sambuci *scrupul. unum*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil. XII.
Consperg. pulv. eodem.
D. S. Omni bihorio pilula una.

Tartras Lixivae stibiatus, s. Tartarus emeticus.

Pulvis emeticus:

Rec. Tartari emet. *grana tria (quatuor)*
Sacch. albi *drachm. semis.*
M. f. pulv. div. in dos. aeq. duas.
D. S. Sumat aeger pulverem unum, et vomitu per ¼ horae non insequuto, alterum.

Alterans, in pneumoniis, delirio tremente potatorum, mania, etc. etc.

Rec. Tartari emet. *grana quatuor (octo)*
Sacch. albi *drachm. duas.*
M f. pulv. aeq. div. in dos. octo.
D. S. Omni hora pulvis unus.

Augebatur sensim sensimque dosis Tartari emet. ad gr. 5, 6, 8, 12 et ultra optimo cum effectu. In tromophrenesi subinde cum Opio dabatur.

Solutio, scopo vomitorio:

Rec. Aq. commun. *unc. sex*
Tart. emet. *grana tria (— quatuor)*
Oxymell. squill. *unc. unam.*
M. D. S. In quatuor vicibus, spatio horae unius interposito absumatur.

Diversis in decoctis, nec non infusis emollientibus, diapnoicis et solventibus unacum salibus mediis diversis, ad gr. unum alterumve porrigebatur.

Unguentum, in inflammationibus chronicis, scrofulis, etc.

Rec. Tartrat. Lixiv. stibiati *drachm. unam (— duas)*
Axung. porcin. *unc. unam.*
M. exactiss. f. unguent.
D. S. Mane et vesperi magnitudine nucis avellanae inungendum, donec prorumpant pustulae.

Ita et solutio concentrata.

Aethiopem antimonialem vide sub *mercurialibus.*

Sulfur crudum.

Unguentum simplex, in scabie:

Rec. Axung. porcin. *unc. unam*
Sulf. crudi pulverisati *drachm. duas.*
M. in unguentum.
D. S. Inungatur cum quantitate dimidia primo die, cum altera quantitate die subsequo. Inunctio instituebatur primum in extremitatibus superioribus, et postea in inferioribus. Post singulas binas inunctiones, mane et vesperi institutas, balneum instituebatur universale.

Rec. Sulfur. crudi pulveris.
Sapon. nigri aqua emolliti *āā unc. semis*
Axung. porci *unc. unam.*
M. in unguentum.
D. S. Inungatur dimidia pars hodie mane totis extremitatibus, et post inunctionem stragulo laneo involutus aeger per horas 12 quietus maneat, dein sudore absterso, recenti indusio lecto componatur.

Sed hacce methodo tractati aegri omnes non sudarunt, quare ad infusum Tiliae cum roob Sambuci recurrebatur. Hinc ad imitationem methodi anglicanae aut rossicae, in scabie inveterata, degenerata:

Rec. Adipis porcin. rec. *unc. duas*
Pulv. Sulf. crudi *unc. unam*
Sapon. nigri *unc. semis*
Pulv. rad. Hellebori albi *drachm. unam et semis.*
Sapone aqua emollito misce exacte in unguentum.
D. S. Inungatur totum corpus binis vicibus intra horam, dein denudetur aeger involutus stragulo laneo et altero simili cooperiatur, maneat in tali positione per horas 20, dein vestimentis induatur.

Paucis horis post factam inunctionem, in tota corporis superficie adparuit copiosa eruptio cutanea, cujus forma erat prius papularum, inde pustulosa, sed observabantur et nonnullae vesiculae prurientes. Ordinabatur decoctum Graminis, et Sapo pro balneo, quod continuabatur per 4 dies, unde sanus exstitit.

Cum Mercurio praecip. albo, in psora sicca cum sublatente syphilide:

Rec. Pulv. Sulf. crudi *drachm. tres*
Mercurii praec. albi *scrupulum unum*
Adipis suilli rec. *unciam unam.*
M. exacte in unguentum.
D. S. Ter de die inungendum.

Sulfur depuratum, s. Flores Sulfuris loti.

Interne, pulvis:

Rec. Sulfur. depur. *drachm. duas*
Sacch. albi *unc. semis.*

M. f. pulv. aeq.
D. ad scatulam.
S. Omni bihorio cochl. coff. duo.

In haemorrhoidibus:

Rec. Sulf. depur.
Magnes. carbon. *āā drachm. unam*
Cremor. Tartari *drachm. tres*
Sacch. albi *unc. semis.*
M. f. pulvis aeq.
D. ad scatulam.
S. Saepius de die cochl. coff. unum.

Absque Cremore Tartari, in tremore mercuriali; cum Aethiope antimoniali, in morbis cutaneis.

In scabie papuloso-vesiculari:

Rec. Flor. Sulf. lot. *drachm. duas*
Cremor. Tartari
Sacch. albi *āā unc. semis.*
M. f. pulv. aeq.
D. ad scatulam.
S. Absumendus intra duos dies.

Externe. Unguentum, in eodem casu:

Rec. Flor. Sulfur. loti *unc. semis*
Axung. porci rec. *unc. duas.*
M. f. unguentum.

Symphytum off.

In stadio blennorrhoico catarrhi chronici:

Rec. Rad. Symphyti off. *unc. unam*
Coq. c. s. q. aq. c. p. 1/4 h.
Col. libr. duarum adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Potus.

Excreata cum tussi aliquid imminuebantur, imo et tussis serius fere evanuit.

Tamarindus.

Decoctum, ab uncia una ad duas, aut solum aut cum Gramine, Hordeo, Taraxaco, etc., aut addito sale quodam cathar-

tico, valde frequens ac gratum et salubre suppeditabat medicamen, in febribus gastricis, gastrico-biliosis, intermittentibus, fluxu hepatico, hepato-splenemphraxi symphoretica, haematuria diarrhoea, pellagra, etc.

Rec. Rad. Graminis consc.
Fruct. Tamarind. enucl. *āā unc. duas*
Coq. c. s. q. aq. c. p. ¼ h.
Col. unc. octo adde:
Cremoris Tartari *drachm. tres*
Tartari emet. *gran. unum*
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

In haematuria renali:

Rec. Fruct. Tamarind. enucl. *unc. duas*
Coq. c. s. q. aq. c. p. ¼ h.
Sub finem coctionis solve:
Mannae elect. *unc. unam*
Col. refrig. libr. unius adde:
Aq. destill. Laurocerasi *drachm. unam*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Uti supra.

Eadem formula, omissa Manna, in haematochesi; cum acetate Ammoniae solut. drachm. tribus; vel etiam cum Nitro; Salis Seignetti uncia semis, vel integra; Tartari emet. grano uno alterove; Cremoris Tartari uncia semis, una; etc., etc.

In febre gastrico-biliosa decoctum Tamarind., cum infuso Ipecacuanhae ordinabatur.

Pulpa Tamarindorum, a drachmis sex, ad unciam unam, in diversis mixturis et electuariis locum habuit.

Taraxacum.

Decoctum ex unc. una, vel duabus, additis diversis pharmacis solventibus; in gastrismo:

Rec. Rad. Taraxaci *unc. duas*
Consc. coque c. s. q. aq. c. p. ¼ h.
Sub finem coctionis infunde:
Rad. Rhei r. t. *drachm. tres*
Stent in inf. ferv. p. ¼ h. v. cl.

Col. libr. unius adde:
Elaeos. cort. Aurant. *drachm. duas.*
M. D. S. Omni bihor. vascul. coff. semis.

Eodem modo praescribebatur decoctum Tarax., cum infuso Chamomillae:

Rec. Rad. Taraxaci *unc. duas*
Consc. coq. c. s. q. aq. c. p. ½ h.
Sub finem coctionis infunde:
Flor. Chamomill. vulg. *unc. semis*
Stent in inf. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. decem adde:
Sal. amari *unc. semis*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Decoctum T. utplurimum ordinabatur cum salibus catharticis, et Sale ammoniaco, et quidem in febribus intermittentibus.

Extractum Taraxaci liquidum, in pilulis, electuario, vel solutione, ad drachmas duas, vel unciam semis.

Rec. Extr. Taraxaci liquid. *drachm. tres*
Arcani dupl. *drachm. duas*
Sulfat. Chinin. *grana sex*
Pulv. fl. Chamomill. q. s. ut f. electuarium.
D. S. Tempore apyrexiae omni hora cochl. cib. duo.

Tartras Lixivae acidulus, s. Cremor Tartari.

Pulvis, et electuarium, ad movendam alvum, a drachmis sex ad unc. duas; ut solveret et adjuvaret secretionem, ad drachmas duas, quatuorve exhibebatur.

Rec. Cremor. Tartari
Magnes. carbon. *āā drachm. duas*
M. f. pulv. aeq.
D. ad scatulam.
S. Omni bihorio cochl. coff. unum.

In febri gastrico-saburrali lenta:

Rec. Cremor. Tartari *drachm. sex*
Pulv. Rhei chinens. *drachm. duas*
Extr. Taraxaci liquid. *unc. unam et semis.*
M. f. electuarium.
D. S. Ter quaterve in die cochl. coff. duo sumenda.

Cum Nitro ad drachm. unam alteramve, qua diureticum, praeterea cum Tartaro stibiato, floribus Sulfuris: in pulvere.

Ad unciam semis potui admiscebatur, constanti vel ex simplici aqua, vel ex succo Citri.

Scopo eccoprotico, ad unciam unam, unam et dimidiam praescribebatur:

Rec. Hordei mundati *unc. duas*
Coq. c. s. q. aq. ad crepatur. granor. usque
Col. libr. unius adde:
Cremor. Tartari
Syr. simpl. *āā unc. unam.*
D. S. Omni bihorio vascul. coff. semis.

Tartras Lixivae et Sodae, s. Sal Seignetti.

Ex decoctis variis, praeprimis solventibus, ad unc. semis, unam propinabatur.

Rec. Mannae electae *unc. duas*
solve in:
Aq. font. ferv. *libr. una*
Col. adde:
Sal. Seignetti *unc. unam*
Syr. Cichor. c. Rheo *unc. unam et semis.*
M. D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Tanacetum.

Herba, flores et semina a drachmis duabus, ad unc. semis, in infuso, ad col. unc. sex, octo adhibebantur; e. gr. in helminthiasi:

Rec. Summitat. Tanaceti
Fol. Sennae alexandr. *āā drachm. tres*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. decem adde:
Syr. Cichor. cum Rheo *unc. unam.*
D. S. Omni bih. vasc. coff. semis.

Sub finem, in infusione Manna solvebatur, vel etiam loco foliorum Sennae, Rheum electum, herba Centaurii min., vel alia addebantur.

In synochis gastricis verminosis Tanacetum Santonico, si id non agebat, utplurimum praeferebatur.

Tauri Fel.

Inspissatum Fel tauri forma pilularum, ad drachmam semis, vel integram, cum extractis aliis amaricantibus, aut salibus. In hepatemphraxi:

Rec. Fell. Tauri inspiss.
Sapon. medic. *āā drachm. unam*
Pulv. rad. Liquirit. q. s. ut f. pil. pond. gran. duorum.
Consperge eodem pulvere.
D. S. Omni bihorio pilulae quatuor.

In splenemphraxi, addebatur adhuc carbonas Ferri.

In hepato-splenemphraxi, praemissis solventibus tonicis:

Rec. Fell. Tauri inspiss. *drachm. semis*
Flor. Sal. ammon. mart. *grana octo*
Pulv. rad. Liquirit. q. s. ut f. pil. XVI.
Consperge pulvere rad. Iridis flor.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

In ictero febrili, post multa adhibita alia:

Rec. Fell. Tauri inspiss. *drachm. unam*
Sapon. medicin. *drachm. semis*
Flor. Sal. ammon. mart. *grana sexdecim*
Pulv. Liquirit. q. s. ut f. pil. XXX.
Consperge pulvere eodem.
D. S. Omni bihorio pilulae tres.

In eodem casu, nullo secedente alvo:

Rec. Fell. Tauri inspiss. *drachm. unam*
Sapon. medicin. *drachm. semis*
Flor. Salis ammon. mart.
Extr. Aloës aquosi *āā grana quindecim*
Pulv. rad. Liquirit. q. s. ut f. pil. XXX.
Consperge pulvere eodem.
D. S. Uti supra.

Externe. Forma linimenti, unguenti; in tabe mesenterica:

Rec. Fell. Tauri recent. *unc. unam*
Salis culinaris in pulverem subtilissimum triti *drachm. tres*

Saponis domest. aqua emolliti *unc. semis.*
M. f. linimentum.
D. S. Inungendum quovis die quatuor vicibus.

In tumoribus glandularum colli:

Rec. Fell. Tauri recent. *drachm. duas*
Muriat. Sodae *drachm. tres*
Adipis porcin. *unc. unam.*
M. f. unguentum.
D. S. Inungantur tumores colli.

Cum Felle Tauri, Petroleo, adipe et vitello Ovorum inunctio instituebatur in tabe mesenterica.

Terebinthina.

Oleum Terebinthinae destillatum. Interne, in casu taeniae solii:

Rec. Olei Terebinth. destill. *grana duodecim*
Vitelli Ovi q. s. ad perfectam olei subactionem. Bene subactis, adfunde:
Aq. commun. font. *unc. quatuor*
Syr. simpl. *unc. unam.*
M. D. S. Sumat aeger vesperi intra horam tribus vicibus.

Sed taenia non secessit.

Adduco casum ichthyoseos squamosae (elephantinae), in quo Terebinthina interne adhibebatur. Primis curae diebus Terebinthinae grana XV pro die ordinabantur. Urinae copia inde aucta, tumorque artus imminutus, licet parum adhuc. Die 12. curae Terebinthinae grana XX; abhinc prorupit in artu adfecto sudor copiosus, quem subsequuta est crustarum quaedam desquamatio. Die 17. curae deligatur ope fasciae mucilagine gummi Tragacanthae et Ichthyocollae illinitae. Remota post sex dies fascia, cum hac decadebant crustae maxime in dorso pedis. Instituitur postea altera adhuc deligatio, cui hac vice glacies superimponitur; cadit et iterum magnus crustarum numerus. Quum demum die curae 30. ope innunctionum cum oleo Amygdalarum ultimae crustae cecidissent, tumorque artus totius valde imminutus esset, permansit dolor ad articulationem tarso-tibialem et myrmecismus in pollice pedis, anodynorum externe adplicitorum usu fugati. Tumor artus semper adhuc decrescebat, praesertim post

pediluvia ex decocto furfurum Tritici, Terebinthina vero interim continuo propinabatur. Licet cutis cruris et pedis hypertrophia quaedam residua esset, aegra deserere Clinicum voluit, ut familiaribus rebus prospiceret.

Theriaca Andromachi.

Adplicabatur ad locum doloris thoracici, in pneumophthisi tuberculari; in gastro-scleromate ad cardiam; ad scrobiculum cordis, in haemoptoë pulmonali, propter dolores ad scrobiculum cordis. Emplastrum hoc leviter extendebatur supra telam magnitudinis prout necessitas fuit, palmae manus, etc. Cum Galbano quoque jungebatur. Interne non dabatur.

T i l i a.

Infusum ex drachmis duabus, uncia semis, additis aliis, utplurimum diaphoreticis; e. gr. Tartaro emetico, etc.

Rec. Flor. Tiliae *unc. semis*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. 1/4 h.
Col. unc. decem adde:
Roob Sambuci *unc. unam.*
D. S. Epicratice.

Tragacantha.

Sub articulo *Terebinthina* locum invenit.

Trifolium.

Infusum, vel decoctum, ab uncia semis, vel drachmis sex; in statu torpido viarum digestionis:

Rec. Herb. Trifolii fibr.
Rad. Rhei chinens. r. t. *āā drachm. tres*
Inf. s. q. aq. c. f. p. 1/4 h. v. cl.
Col. librae unius adde:
Elaeosacch. Menth. pip. *drachm. duas.*
D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

Decoctum, cum tinctura Rhei aquosa, vel cum Elixir acido Halleri occurrebat.

Extractum, in vehiculo quodam, decoctis solventibus, vel in pilulis, a drachma semis ad integram; e. gr. in chlorosi:

Rec. Extr. Trifolii fibr. *drachm. unam*
Pulv. Calami arom. q. s. ut f. pil. pond. gran. trium.
Consperge pulvere eodem.
D. S. Omni bihorio pilulae duae.

Hancce formulam ingrediebantur quoque extracta Absynthii, malatis Ferri, pulvis florum Chamomillae, etc.

Pro necessitate casuum Cortex Peruvianus, Millefolium, sulfas Chininae, Quassia, carbonas Ferri connubium inivere.

Triticum.

Furfures Tritici, forma pulveris sacculo inclusi. In tumore temporali, exorto in encephalo-meningitide, tumore vero ope cataplasmatum jam imminuto:

Rec. Furf. Tritici
Pulv. rad. Acori
— flor. Arnicae mont. *āā unc. unam et semis.*
M. Sacculo lineo pulvis inclusus adplicetur tumori.

In dolore glandulae parotideae, et odontalgia:

Rec. Furf. Tritici *unc. quatuor*
Pulv. flor. Sambuci *unc. duas.*
Collige in sacculum lineum.
S. Adplicetur calidus ad locum.

Itidem cum speciebus aromaticis, cum Camphora.

Decoctum pro balneo universali; e. gr. in lichene:

Rec. Furf. Tritici *libr. semis*
Coq. c. s. q. aq. c. p. $^1/_4$ h.
Col. libr. quatuor detur.
S. Addatur balneo universali, quod sit graduum R. 28.

Idem decoctum ex libris duabus, pro libris octo balneo universali inserviebat, in pemphigo scorbutico.

Cum Arnica et Sambuco, pro fomento, in supra notato casu exorti tumoris temporalis:

Rec. Flor. Arnicae mont.
— Sambuci
Furf. Tritici *āā unc. tres*
Coque c. s. q. aq. c. p. 10 minuta.
D. S Pro fomento tepide adplicando, et renovando omni $^1/_2$ hora.

Cum herba Cicutae, pro balneo, in herpete papuloso:

Rec. Furf. Tritici *libr. duas*
Herb. Cicut. *unc. unam*
Aq. ferv. *libr. quatuor.*
Stent in digestione p. ¼ h.; dein exhibe pro balneo.

Pro clysmate:

Rec. Furf. Tritici *unc. duas*
Coq. c. s. q. aq. c. p. ¼ h.
Col. librae unius adde:
Olei Lini *unc. duas*
Sal. culinar. *unc. semis.*
D. S. Pro enemate.

Ulmus.

Decoctum, in pemphigo chronico ex habituali pedum sudoris suppressione; in scabie cum sublatente syphilide:

Rec. Stipit. Dulcamar.
Cort. Ulmi interioris *āā unc. semis*
Coq. c. s. q. aq. c. f. p. ¼ h. v. cl.
Col. librae unius et semis adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Epicratice.

Eidem decocto parato ex drachmis duabus ad col. libr. unius, addebatur drachma semis Acidi nitrici:

Decocto-infusum; in syphilide larvata:

Rec. Cort. inter. Ulmi *unc. unam.*
Coq. c. s. q. aq. c. f. p. ¼ h.
Sub finem coctionis infunde:
Stipit. Dulcamar. *drachm. unam.*
Stent in infusione per horam;
Col. libr. duarum adde:
Syr. simpl. *unc. duas.*
M. D. S. Potus.

Uva Ursi.

Decoctum foliorum arbuti Uvae Ursi, ex drachmis duabus, ad col. unc. octo cum emolumento praescribebatur ad confirmandam convalescentiam ex blennorrhagia vesicali, haematuria renali:

Rec. Folior. Uvae Ursi *drachm. duas*
Coq. c. s. q. aq. c. p. ½ h.
Col. unc. octo adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio cochl. cib. tria.

Valeriana.

Infusum, pilulae, electuarium a drachma una ad duas, tres; e. gr. in statu febrium nervoso:

Rec. Rad. Valerian. sylv. *unc. semis*
Consc. inf. s. q. aq. c. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. refrig. unc. octo adde:
Aether. acetici *drachm. semis*
Mucilag. g. arab. *unc. semis*
Syr. cort. Aurant. *unc. unam.*
D. S. Omni bihorio vasc. coff. semis.

In helminthiasi:

Rec. Rad. Valerian. sylv. consc.
Semin. Santonici *āā drachm. tres*
Fol. Sennae alexandr. *drachm. duas*
Inf. s. q. aq. c. ferv. p. ¼ h. v. cl.
Col. unc. octo adde:
Arcani dupl. *drachm. duas*
Syr. Cichor. c. Rheo *unc. unam.*
M. D. S. Omni hora vascul. coff. semis.

Eodem modo praescribebatur in infuso cum Absynthio, Tanaceto. Absque illo ingrediente, vel addito syrupo Cichorei c. Rheo, etc., in epilepsia, in chlorosi.

Electuarium, in febri gastrico-catarrhali cum nota verminosa:

Rec. Pulv. rad. Ipecacuanh. *scrupul. unum*
— — Valerian. sylv.
— semin. Santonici
Arcani dupl. *āā drachm. semis*
Mell. despum. q. s. ut f. electuarium.
D. S. Quantitas ad magnitudinem nucis avellanae pane ecclesiastico involuta omni trihorio sumenda.

In helminthiasi:

Rec. Pulv. rad. Jalap. *grana quindecim*
— — Valerian. sylv.
— semin. Santonici *āā drachm. unam*

Arcani dupl. *drachm. tres*
Oxymell. simpl. *unc. unam et semis.*
M. f. electuarium.
D. S. Omni bihor. cochl. coff. dimidium.

Exiguae quaedam pro singulo casu in praescribendo tali electuario *Stoerckii* intercurrebant modificationes.

Verbascum.

Infusum, a drachmis aliquot, vel ultra paratum:

Rec. Flor. Verbasci *unc. semis*
Inf. s. q. aq. f. p. ¼ h.
Col. libr. unius adde:
Syr. simpl. *unc. unam.*
D. S. Pro potu.

Idem infusum pro collutorio, eadem formula cum Manna, Oxymelle simplici, syrupo Rubi Idaei, infusis florum Papaveris Rhoeados, florum Tiliae, addito succo Citri, etc. in usu erant.

Zincum oxydatum, s. flores Zinci.

Pulvis, interne, in bronchitide subconvulsiva:

Rec. Flor. Zinci *grana quatuor*
Sacch. albi *drachm. unam.*
M. f. pulv. aeq. div. in dos. sex.
D. S. Omni bihorio pulvis unus, tempore apyrexiae.

In delirio tremente potatorum nervoso:

Rec. Flor. Zinci *scrupul. semis*
Sacch. albi *drachm. unam.*
M. f. pulv. aeq. div. in dos. sex.
D. S. Omni bihorio pulv. unus.

Praesto erant epilepsiae, quae oxydo Zinci cesserunt.

Occurrebant et pilulae cum Castoreo, et extracto Conii maculati; cum Castoreo et extracto Hyoscyami; cum gummi-resina Asae foetidae.

Unguentum, in psora herpetica:

Rec. Oxydi Zinci *drachm. unam*
Saponis aqua emolliti
Adipis porc. rec. *āā unc. semis.*
M. exacte, f. unguentum.
D. S. Mane et vesperi inungendae partes defoedatae.

Sulfas Zinci artefactus, s. Vitriolum Zinci.

Unguentum, in scabie degenerata:

Rec. Adipis porc. rec. *unc. unam*
Vitrioli Zinci *drachm. semis*
Flor. Sulfuris *drachm. tres.*
M. exacte in unguentum.
D. S. Bis de die totum corpus inungendum.

Errata.

Pag. 1 lin. 3 pro intermittit. corrige intermitt.
„ 5 „ 1 „ mucosae „ submucosae
„ 13 post lineam 16. omittebatur Sacch. albi *drachm. unam*
„ 11 lin. 27 pro *Whythii* corrige *Whyttii*
„ 16 „ 2 „ myrmekysmus „ myrmecismus
„ 68 „ 2 „ amaenorrhoica „ amenorrhoica
„ 68 „ 35 „ *drachm. duas* „ *drachm. unam*
„ 117 „ 30 „ — *unam* „ — *semis*
